6
36 B
26

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

18. e

5-D-24

5 D 24

5. L. 24.

IN

HABACVC PROPHETAM

ANTONII AGELLII
NEAPOLITANI

Ex congregatione Clericorum Regularium

EPISCOPI ACERNENSIS

COMMENTARIVM.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.
M. D. XCVII.
Cum Gratia & Priuilegio.

ILLVSTR[mo] ET EXCELL[mo]
D. ANTONIO A CORDONA ET
Corduba, Duci Sueſſano, & Catholicæ Maieſtatis apud Sanctiſs. D. N. Oratori,

ANTONIVS AGELLIVS NEApolitanus ex Congr[ne] Clericorum Regularium, Epiſcopus Acernenſis.

ET GENERIS *tui nobilitas Dux illuſtriſſime, maiorumque tuorum virtus atque præſtātia, in quorum fidem atq. clientelam ſe mei ciues olim dederūt, & propria tua humanitas cum inſigni pietate religioneque coniuncta, poſcere videbatur, vt aliquid mearum lucubrationum tibi dicarē, in quo meæ erga te obſeruantiæ monumentum extaret. cui officio ne deſim, antequam Vrbe cedam, Commentariolum in Habacuc Prophetiam pro munere offero, in qua diuinus ille vir ſuppreſſo nomine, Regis Nabucodonoſor barbarum & efferatum animum deſcribēs, quæ illum ſupplicia*

maneant, diuino ſpiritu inſtinctus effatur, Chriſtique aduentum, ac pariendã hominum generi ſalutem, et rerum ab eo gerendarum ſplendorẽ cum priſcis illis & in Iudæorum gente peruulgatis Dei miraculis conferens, excelſo ſublimique ſtilo proſequitur. in quo cùm editionis vulgatæ ſeriẽ perſecutus ſim, nihil tamen omiſi de LXX. *Interpretum verſione non examinatum, quod dumtaxat à vulgata editione diſcreparet. ſic namque recentiora complecti æquum eſt, vt vetera non repudiemus, quæ & maieſtate, & pietate, & ſententiarum verborumque pondere nihilo ſunt recentioribus inferiora. Accipe igitur humaniſſime Dux munus oblatum, & Habacuc ex nominis eius proprietate complectere. quod ſi tibi placuiſſe intellexero, non mediocre ad ea quæ paro incitamentum addideris.*

IN HABACVC PROPHETAM ANTONII AGELLII EPISCOPI ACERNENSIS Commentarium.

QVo tempore fuerit Habacuc, inter nos & Hebræos non ſatis conuenit: nam quia Eccleſia partem illam libri Danielis recipit, in qua ſcriptum eſt, hunc Prophetam cùm cibos meſſoribus ferret, ab Angelo ſublimem raptum, & in Babylonem tranſlatum, vt ſeruum Dei in lacu leonum fame vexatum reficeret, nullus nobis dubitandi locus relictus eſt, quin eo tempore Habacuc fuerit, cùm à rege Nabucodonoſor deuictus eſt ille populus, & in captiuitatem ductus. Illi quia hanc ſacrarum litterarum partem explodũt, & à ſuo canone reiiciunt, tum diuerſa in ſentẽtia ſunt, tum ne ipſi quidem inter ſe conſentiunt. itaque ex illis alij Eliſæi ætate fuiſſe hunc Prophetam putant, & ipſum illum filium Sunamitidis, quem, hoſpitio illius vſus Eliſæus, vt gratiam referret, ſterili pollicitus eſt, Deo pollicitationis fidem abſoluente: Ad quam rem probãdam ex Eliſæi verbis argumentũ ſumunt, In tem-

pore, inquit, hoc, & hac eadem hora, ſi vita comes fuerit, habebis in vtero filium; vel, vt in Hebræo, & in LXX. editione habetur, amplexaberis filiũ. Habacuc autem, ſi nomen interpretemur, amplexum ſignificat. Ex quo inferunt hunc illum eſſe quem Sunamitidi promiſſum ſit ab Eliſæo, fore vt poſt decem menſes amplecteretur. Sed quàm leue hoc ſit argumentum, omnes vident; itaque ne ipſis quidem Hebræis omnibus hæc opinio placuit. nam alij non Eliſæi tẽporibus hunc Prophetam adſcribunt, ſed Manaſſe Regis ætate vixiſſe putãt, & σύγχρονον fuiſſe Naum alterius Prophetæ. quia neuter Propheta tẽpus quo prophetauit adiecerit, ne prophetiam ſuã impij Regis nomine commemorato contaminaret. Et hæc ratio nihil momẽti habet: neque enim in his ſolis prætermiſſa eſt Regum commemoratio, quorum ætate Propheta vixerit, quando neque in Ioëlis, neque in Abdiæ, neque in Ionæ prophetia nomen Regis ac tempus adſcriptum ſit, & in nonnullorum Prophetarum libris etiam impij Regis nomen initio libri commemoratum. Itaque in Iſaiæ & Oſeæ initio Ozias & Achaz commemoratus eſt, & in Ieremia. Sedecias, & in Amos Ozias, & Achaz in Michæa. Non ergo hæc cauſa fuit cur in nonnullis Prophetis nomen Regis, ac tempora Prophetæ prætermitterentur. Fabulis igitur atque iterationibus Hebræorum abiectis, vt

quæ

quæ nulla ratione, nulla firmitate nitantur, Eccleſiaſtica ſententia ſequenda eſt, Habacuc eo tempore prophetiam ſuam, & diuina oracula promulgaſſe, cùm iam Iudææ gentis excidium ſub Chaldęorum Principe Nabuconoſor immineret. cui ſententię, ne quis temerè & ſine ratione prolatá putet, illa verba Prophetæ ſuffragantur, Aſpicite in gentibus & videte, admiramini & obſtupeſcite, quia opus factum eſt in diebus veſtris, quod nemo credet cùm narrabitur. manifeſtum eſt enim hæc verba ad ſuæ ætatis homines à Propheta dici, quorum diebus gentē Chaldæorum venturam, & omnia expugnaturam ac deprædaturā prædicit. Quamobrem eruditiſſimi viri Alphonſi Toſtati Abulenſis Epiſcopi in hac re ſententiam non ſatis probo, qui in commentario Epiſtolæ beati Hieronymi ad Paulinum, quæ in principio Bibliorum præfixa eſt, ſcriptum reliquit, Habacuc Michęæ temporibus prophetaſſe, qui vſque ad Ezechiæ tempora prophetauit, niſi velimus Habacuc pluſquam centum annos vixiſſe. Illud autem pro certo habendū eſt, Prophetam initio non ex ſua, ſed infirmiorum hominum ſententia loqui, & rationes Diuinæ gubernationis exigere, & quodammodo conqueri, cur tantum impiis liceat, vt vt illis non impunè modò pios viros, & Dei cultores vexare permittatur, verùm etiá pro iniquitate & impietate quodammodo præ-

Hab. c. 1.

mia rependantur, quando regi Nabucodonoſor, qui Dei populum adeò inhumanè, ſæuiterque tractauerit, omnia ad nutum votumque ſuccedant. Qua conqueſtione peracta, ſubiungit quid diuino oraculo ſibi reuelatum ſit, & conqueſtioni reſpondet, non diuturnũ fore Nabucodonoſor imperium, ſed finem propediem accepturum, eiuſque non regnum modò, ſed etiam genus abolendum, & quod aliis fecerit, id in ſe cumulatè redundaturum. alioqui indigniſſimum eſt putare Prophetã expoſtulare aduerſus Deũ, & in eum verbis inſilire, factorum atque geſtorum illius rationem repetentem, & tamquam iniuſtum accuſantem. Ergo iuſtorum hominum adhuc tamen infirmiorum perſonam induit Propheta vel ætatis ſuæ, vel temporis conſequentis, qui iudicia Dei neſcientes, cùm ſe viderent affligi, & Regem impium ſecundis rebus extolli, conturbabantur; & quamuis à Deo mundum, mundanaque omnia adminiſtrari certò ſcirent, hanc inæqualitatem gubernationis indignè ferebant, cùm, quibus de cauſis eueniret, ignorarent.

Vvlgata edit.

Caput I.

ONvs *quod vidit Habacuc Propheta. Vſquequo Domine clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, & non ſaluabis? Quare oſtendiſti mihi iniquitatem, & dolorem, videre prædam, & iniuſtitiã contra me? Et factũ eſt iudicium & contradictio potentior: propter hoc lacerata eſt lex, & non peruenit vſque ad finem iudicium: quia impius præualet aduerſus iuſtũ, propterea egreditur iudicium peruerſum.*

Aſpi-

Lxx. editio.

ASsvmptio *quam vidit Abacum Propheta. Vſquequo Domine clamabo & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, & non ſaluabis? Quare mihi oſtẽdiſti labores & dolores, videre miſeriam & impietatem? Contra me factum eſt iudicium, & iudex accipit: propterea lacerata eſt lex, & non peruenit ad finem iudicium, quia tempus præualet aduerſus iuſtum, propterea egreditur iudicium peruerſum.*

VVLG. EDIT.

Aſpicite in gentibus, & videte, & admiramini, & obſtupeſcite: quia opus factum eſt in diebus veſtris, quod nemo credet cùm narrabitur. Quia ecce ego ſuſcitabo Chaldæos, gentem amaram, & velocem, ambulantẽ ſuper latitudinem terræ, vt poßideat tabernacula non ſua. Horribilis & *terribilis eſt: ex ſemetipſa iudicium & onus eius egredietur. Leuiores pardis equi eius, & velociores lupis veſpertinis, & diffundentur equites eius: equites namque eius de lõgè venient,* vola-

LXX. EDIT.

Videte contemptores & reſpicite, & admiramini mirabilia, et diſperdimini: quia opus ego operor in diebus veſtris, quod non credatis ſi quis narrauerit. Quia ecce ego ſuſcitabo Chaldæos gentẽ amaram & velocem, quæ ambulat ſuper latitudinem terræ, vt poſſideat tabernacula non ſua. Terribilis & illuſtris eſt: ex ſemetipſa iudiciũ eius erit, & aſſumtio eius ex ſe egredietur. Et exilient ſuper pardos equi eiꝰ et velociores erunt lupis Arabiæ, et equitabũt equites eius, et impetu veniẽt de

VVLG. EDIT.

volabũt quaſi Aquila feſtinans ad comedendum. Omnes ad prædã venient: facies eorũ ventus vrens, & congregabit quaſi arenã captiuitatem. Et ipſe de Regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt: ipſe ſuper omnem munitionem ridebit, et cõportabit aggerem, & capiet eam. Tunc mutabitur ſpiritus, & pertrãſibit & corruet. hæc eſt fortitudo eius Dei ſui. Numquid non tu à principio Domine Deus meus, Sancte meus, & non moriemur? Domine in iudicium poſuiſti eum,

&

LXX. EDIT.

de longinquo, & volabunt quaſi Aquila promta ad comedendum. Cõſummatio in impios veniet reſiſtentes faciebus eorũ ex aduerſo, & congregabit quaſi arenã captiuitatem. Et ipſe in Regibus delectabitur, & tyranni ludibria eius: & ipſe in omnẽ munitionem illudet, & mittet aggerem & obtinebit eam. Tunc mutabit ſpiritũ, et pertrãſiet, & propitiabitur. Nõne tu à principio Domine Deus meus, Sancte meus, & non moriamur. Domine in iudicium poſuiſti eum, & plaſmauit

me

VVLG. EDIT.

& fortem vt corripere fundaſti eum. Mundi ſunt oculi tui ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris. Quare non reſpicis ſuper iniqua agẽtes, & taces deuorante impio iuſtiorem ſe? & facies homines quaſi piſces maris, & quaſi reptile non habens principem? totum in hamo ſubleuauit, traxit illud in ſagena ſua, & congregauit in rete ſuum. Super hoc lætabitur et exultabit: propterea immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo; quia in ipſis incraſſata eſt pars

LXX. EDIT.

me vt arguam in diſciplina eius. Mundus oculus, ne videat mala, & aſpicere ſuper dolorem non poteris. Quare non aſpicis ſuper contemtores; tacebis cùm deuorauerit impius iuſtiorẽ ſe? Et facies homines quaſi piſces maris, & quaſi reptilia non habentia ducẽ. Conſummationem in hamo ſubleuauit, & attraxit eum in reti ſuo, & congregauit eum in ſagenis ſuis. Propter hoc lætabitur & gaudebit: propterea immolabit ſagenæ ſuæ, & incendet reti ſuo, quia in ipſis incraſſa-

VVLG. EDIT.	LXX. EDIT.
pars eius, & cibus eius electus: propter hoc ergo expandit ſagenam ſuam, & ſemper interficere gentes non ceſſat.	*craſſauit partē ſuam, & eſcæ eius electæ: propterea expandit rete ſuum, & ſemper interficere gentes non ceſſat.*

ONVS *quod vidit Habacuc Propheta.*

Quod Prophetæ reuelatum fuerit, onus appellatur, non quidē ſemper, ſed cùm graue & moleſtiæ laboriſque plenum eſt quod videtur. Et quia onus non abſolutè dicitur, ſed ad eum refertur cuius eſt onus, idcirco quæritur, quę cauſa ſit, vt cùm alij Prophetæ apponere ſoleant etiam cuius ſit onus, vt in Naum, onus Niniue; & Zaccharia, onus verbi Domini in terra Hadrach & Damaſci requiei eius; & in Eſaia, Onus Damaſci, onus Tyri; hic Propheta abſolutè dixerit, Onus quod vidit Habacuc Propheta. Nam cùm triplex ſit perſonarum ratio quæ in prophetia perficienda conueniunt, Deus reuelans, Propheta cui reuelatur, & ij ad quos pertinent ea quæ reuelantur. tria item pro perſonarum diuerſitate ſortita eſt vocabula, verbum, viſio, onus: ac Verbum dicitur cùm ad dicētem Deum refertur; Viſio, cùm ad Prophetam videntem; Onus, cùm ad eos qui ferunt onus, & quibus imponitur. Quæ igitur

cauſa

cauſa eſt cur onus dictum ſit; cuius autem onus futurum ſit, id ſilentio prætermiſerit? Puto igitur, quia onus hoc aduerſus Chaldęos & eorum regem Nabucodonoſor vidit Propheta, conſultò Chaldæos & eorum Regem victoria iam inſoleſcentem tacuiſſe, ne hominem ingenio & ſucceſſu rerum elatum ad iram magis accenderet. quomodo etiam Apoſtolus fecit, qui cùm Neronis denotaret imperium, *Tantum*, inquit, *qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat.* Porrò quod in noſtra editione onus dicitur, LXX. aſſumtionem, hoc eſt λῆμμα dixerunt; Aquila verò ἆρμα interpretatus eſt, quod Latinè diceretur leuatio. Aſſumtionem, ſeu ſumtionem dixerunt LXX. vt nonnulli putant, quia reuelationem à Deo datā ſumſerit, & acceperit Propheta. Nam ſi vnicuique, vt inquit Apoſtolus, datur à Deo manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem; ſequitur vt Propheta à Deo datam accipiat. quæ acceptio λῆμμα ſeu ſumtio dicta eſt, vt in ipſo ſtatim initio Propheta Dei munus agnoſcat, & nihil ſe habere quod nō acceperit ingenuè fateatur. Ego verò puto ſumtionem dictam eſſe, quia illam Deus extulerit, & ſuper aliquos tamquam onus ferendum impoſuerit: ſuum enim vnicuique onus quodamodo Deus imponit, & ferendum patienter & æquo animo eſt quidquid ille impoſuerit. inde eſt illud quod dixit Apoſtolus, *Vnuſquiſque onus ſuum portabit.*

Et

Et de Achab dicitur in quarto libro Regum cap. 9. quòd Dominus onus hoc leuauerit ſuper eum, dicẽs; *Si non pro ſanguine Naboth, & pro ſanguine filiorum eius quem vidi heri dicit Dominus, reddã tibi in agro iſto.* vbi Lxx. ſic tranſtulerunt. *Dominus aſſumſit ſuper eum aſſumtionem iſtam.* Et Ieremias de falſis Prophetis in Lamentationibus cap. 2. *Viderunt ſuper te aſſumtiones falſas & eiectiones.* Tunc autem Deus aſſumtionem ſuper aliquẽ eleuat vel aſſumit, cùm quid illi futurũ ſit decernit aut declarat. Vnde ſi Scripturæ conſuetudinẽ attendamus, leuans ſeu aſſumens Deus eſt. quod leuatur ſeu aſſumitur, aut aſſumtio & leuatio, ipſa prophetia diuinumq́; decretum, ſeu diuini decreti declaratio, ſuper quẽ leuatur & aſſumitur vir aliquis aut populus cui aliquid euenturum prædicitur. adeò vt aſſumtio ſeu leuatio idem pænè ſit quod oraculum, vt doctiſſimè verterũt Lxx. in Prouerbiis 39. capite, *Oraculum quo erudiuit eum*, nempe Samuelem Regẽ mater ſua, cùm in Hebræo ſit, *Aſſumtio* ſeu *Leuatio qua erudiuit eum mater ſua*; ſic namque habere debemus ſub Dei omnia diſponentis ac moderãtis arbitrio nos eſſe, qui pro meritorum qualitate, aut pro iudiciorum ſuorum profunditate iuſtiſſimè cuique onera aſſumtioneſq́ue diſponat & imponat; itaque Propheta in ipſo ſtatim initio tamquam quæſtioni occurrens, & humanam temeritatem in diuinis

4. Reg. 9.

Prou. 39

uinis

uinis iudiciis examinandis compeſcēs, onus vocat & aſſumtionem, verbo audaciam retundens, ne quiſquā diuina iudicia, vel examinare, vel accuſare præſumat; cùm patientiá quiſquè potiùs in ferendis oneribus impoſitis exhibere debeat, quàm de iniuſto onere leuantem & aſſumentem Deum accuſare. Neque verò abſurda illa eſt intelligentia, ſi dixerimus Aſſumtionem ſeu Leuationem diuinum oraculum ac prophetiá dici, quaſi partem quandam conuiuij, quia cùm in Dei conuiuio ſimus, & in hac vita tamquam in pandæſia quadam ſedeamus, cuiq; noſtrum à Deo pars ſua tribuitur. quæ à nobis modeſtè, & ſine accuſatione accipienda eſt, ne male moratos cōuiuas imitemur, qui de ſua parte tanquam de peiore queruntur, & Conuiuij Regem accuſant tamquam minus iuſtè diſtribuentem. Dei igitur arbitrio nobis, non noſtro viuendum eſt, & quam ille leuarit partem, & nobis dederit, illa vtique fruendum. Origenes, ac ferè Græci omnes Aſſumtionem ſeu ſumtionem intelligunt, quaſi ex Deo à Prophetis ſumtū acceptumque ſermonem, τὸ λῆμμα, inquit, ὁ λόγος ὃν ἐκ θεοῦ λαμβάνουσιν οἱ προφῆται, Aſſumtio eſt ſermo quem à Deo accipiunt Prophetæ. Sic etiam Heſychius in hunc locum Prophetæ, quem exponimus Origenem ſecutus: Paulò aliter Theodoretus, λῆμμα καλεῖ τῆς διανοίας τὴν λῆψιν, καὶ τὴν ἀπὸ τῶν ἀνθρωπίνων μετάβασιν

σιν ἐπὶ τὴν θείαν ἀποκάλυψιν. Aſſumtionem appellat mentis ſublationem, & trãſitum ab humanis rebus, ad diuinam reuelationem. Sed ex locis Scripturæ collatis Aſſumtionem dici apparet, non quòd aſſumatur Propheta, ſed quòd Deus ſumat aliquid quodammodo, & apponat, vel imponat aliquibus, ſicut dictum eſt Regi Dauid, Tria ego leuo ſuper te, quod B. Hieronymus dixit, Trium tibi datur optio.

Quod vidit Habacuc Propheta. Vidit non corporis oculis, ſed animi. inde enim videntes vocabantur Prophetæ, quòd occulta & abdita Dei ſecreta atque conſilia illo reuelante viderent. Vnde vigilanter hoc vérbum ádnotauit B. Hieronymus, quaſi cõtra Montani dogma prolatum. neque enim dici ſolet in ſacris litteris verbum hoc, niſi de eo qui animo quippiam perſpicit & contemplatur. Vnde illud Pſalmi 26. *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt videam voluptatem Domini*; alij ſic verterunt, *contempler voluptatem Domini*: quod ad Græcum propiùs accedit, τοῦ θεωρεῖν με τερπνότητα κυρίου. Si igitur videre in Scripturis eſt contemplari, id autem facere non poteſt, niſi qui intelligit & percipit quæ contemplatur, cùm Prophetæ aliquid vidiſſe dicuntur; profectò fatendum eſt intellexiſſe quod viderunt, non vt amentes locutos eſſe. Ad hæc ſi prophetia Dei munere datur, vt populus cõſeruetur, quod Salomon

in Prouerbiis dixit; *Cùm prophetia defecerit, diſsipabitur populus*, & vt LXX. verterunt, *Non erit expoſitor genti illegi*; exponere autem aliis nequit, quod ipſe non intelligit. Intellexerunt ergo Prophetæ ſeu videntes quod exponebant & videbant, hoc eſt cùm Prophetæ munere fungebantur.

Vſquequo Domine clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te vim patiẽs, et nõ ſaluabis?

In hac prima Prophetæ clauſula Græci à Latinis Hebræiſque diſſentiunt, itaq; beatus Hieronymus Hebræos ſecutus putat cauſationem in his verbis eſſe Prophetæ aduerſus Deum, cur Nabucodonoſor templũ vaſtet & Iudam? cur Ieruſalem quondam vrbs Domini deſtruatur? cur populo vim à Chaldæis patienti non ferat opem, ſed prædæ & vaſtationi pro hoſtium arbitrio eſſe ſinat? Græci auctores conqueſtionem quidem hanc eſſe Prophetæ conſentiunt, nondũ illum tamen de hoſtibus conqueri, aut de Chaldæorum & Nabucodonoſor præda atque rapinis, ſed de ciuium ſuorum, & de ſuæ gentis hominibus, qui infirmiores per iniuſtitiam iniquitatemq; vexabant, & præcipuè contra Principes & Iudices clamare, qui contra ius faſq; iudicarent, & iura venalia haberent. In hac ſententia Theodoritus eſt, & Heſychius, qui ait, τὴν παρὰ τοῦ λαοῦ τῶν ἰουδαίων πολιτευομένην ἀδικίαν ὁ προφήτης ὀδύρεται, de iniquitate, inquit, quæ in populo Iudæorũ erat, Propheta

pheta conqueritur. Eandem ſententiã beatus Gregorius Nazianzenus Epiſcopus probauit, vt apparet in Apologetico. Quid, inquit, dicam de Habacuc? is enim cõcitatiùs loquitur, & cum Deo ipſo expoſtulat, & de ipſo Deo conqueritur propter iniquitatem Iudicum. Has igitur querelas de Principum & Iudicum iniquitate vſque ad capitulum illud exequitur: *Aſpicite in gentibus*; & quæ ſequũtur. Exinde iam prædicit quæ illos pœna tantæ iniquitatis maneat, affuturos eſſe hoſtes terribiles ac metuendos, velocitate ſumma, omniaque illis prædæ futura, & non modò vulgus ignobile, ſed etiam Principes ac Reges ludibrio habituros. In hunc modùm interpretes Græci locũ hunc Prophetę intelligunt. Sed ad verbà ſingula iam deſcendendum eſt. *Vſquequo Domine clamabo & non exaudies?* Clamor hic non ſimplex eſt vocis elatio, ſed tamquàm iniuriam paſſi ad ſuperiorem Iudicem appellatio. Ex perſona itaq; populi ſeu iuſtorum hominum, vel à Nabucodonoſor oppreſſorum, vel iniquitate Principum ac Iudicum afflictorũ loquitur Propheta, diutiùs ſe clamare & appellare Deum ſummum Principem ac iudicem non poſſe, cùm nihil adhuc appellando profecerit, neque exauditus fuerit. Eiuſmodi clamor ille fuit, cùm filij Iſraël ad Deũ propter iniquitatem Pharaonis, qui duriſſimis eos operibus damnauerat, clamauerunt; & cùm Dauid ab

iniquiſſimo Rege Saul exactus & exagitatus clamauit ad Dominum, vt de ſe ipſe teſtatur Pſalmo 17. *In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui, & clamor meus in conſpectu eius introiuit in aures eius.*

Vociferabor ad te vim patiens, & nõ ſaluabis?

Cùm per vim & iniuriam opprimor, ad te vociferor; neque tamen vllam ſalutem, vllam opẽ affers. querelæ ſunt iuxta Hebræos, & beatum Hieronymum aduerſus Nabucodonoſor, victoria in Iudæos intemperanter vtentem: iuxta Græcos, aduerſus Principes, qui populum non ex legis præſcripto iudicabant, ſed per vim & metũ opprimebant: Nõnulli qui Hebraicas litteras fortaſſe ſubtiliùs inquirunt, quia prius verbum præteritum tempus habet, *Vſquequo Domine clamaui*; alterum verò futuro tempore poſitum eſt *Vociferabor ad te vim patiens*, Non putant, vt omnes fere interpretati ſunt, pro futuro prȩteritum eſſe poſitum, ſed præpoſtero ordine dictũ, vt ſit, vſquequo vociferabor ad te vim patiens, cùm tamdiu clamauerim, & non exaudieris? cur enim quiſquam de ea rẽ diutiùs laboret, quam vt aſſequeretur ſæpe tentarit, neque quidquã profecerit? cùm aſſiduè clamarim, quorſum adhuc vociferer, qui mihi aſſiduam vociferationem & clamorem neque ſaluti, neque vtilitati fuiſſe videam?

Quare oſtendiſti mihi iniquitatem & dolorem, videre prædã & iniuſtitiã contra me?

Cau-

Cauſam exponit quamobrem clamarit, & ad Deum ſummum iudicem appellarit. Quia,inquit,eò perductus ſum, vt iniquitatem & dolorem experiar, & videam prædæ & iniuriæ improborum hominum, ſeu Nabucodonoſor,& hoſtium Chaldæorum,ſeu iniquorum populi Principum,eſſe populum ipſum, & humiliores atque infirmiores homines expoſitos. Hebræi paulo aliter interpretãtur.Cur me ad hoc perduxiſti,vt oſtenderes mihi iniquitatem?& cur dolorem quo tuus populus ab impiis hominibus afficitur, aſpicis, & aſpectu tuo quaſi probare videris iniuriam? neque enim hæc ſcelera tu non vides, & te inſciente committuntur. Sed illud moleſtiſſimũ eſt, quòd cùm hæc videas, non vindicas tamen, & tua diſſimulatione audaciam iniquorum auges. Tertia quoque ratio exponẽdi afferri poteſt. iniquitas enim & dolor idolatriæ crimen indicant, cui Iudæorum populus vacabat: ac ne abſurda videatur expoſitio,ſic dictum eſt Numeror.23. iuxta LXX. Non erit labor in Iacob, neque videbitur dolor in Iſrael.quod clariùs à beato Hieronymo verſum eſt, Non eſt idolum in Iacob, neque videtur ſimulacrũ in Iſrael. Deplorat igitur Propheta, & queritur, ſe in ea tempora reſeruatũ, vt quod Balaam prædixerit, non fore laborem in Iacob, neque dolorem in Iſraël,ſibi oſtenſum ſit, & ſcelus idolatriç à populo admiſſum ſibi videre con-

tigerit;

tigerit; quod numquam futurũ ille Diuinus tanto antè cecinerit. Quid cõmerui, inquit, quæ tanta mea ſcelera fuerũt, vt mihi etiam idolatriæ ſcelus à meo populo admiſſum videre neceſſe eſſet? çur præterea prædã & iniuſtitiam quam illi huius impietatis & idolatriæ merito paſſuri ſunt à Chaldæis hoſtibus ita clàrè & perſpicuè oſtendiſti, tanquam ſi coram me eſſet, & oculis illam aſpicerem? Itaque non tam de Deo conqueritur Propheta, quàm dolet tantum piaculum eſſe à ſuis ciuibus in Deum admiſſum, vt captiuitate & deprędatione, & patriæ excidio luendum eſſet. Non itaque ex contumacia & ſuperbia hæc conqueſtio Prophetæ, ſed ex Dei amore ſummaq; in eum pietate, & in ſuos ciues caritate veniebat; quos & Deum offendiſſe, & pro offenſa pœnis meritis propediẽ afficiẽdos eſſe dolebat, quaſi ægrè ferret non aliud eſſe prophetiæ ſuæ munus, niſi aliena crimina videre, & ſupplicia vẽtura pręɗicare.

Quare reſpicis contemtores, & taces conculcante impio iuſtiorem ſe? & facies homines quaſi piſces maris, & quaſi reptilia non habentia ducem?

Hæc verba de LXX. editione ſunt, ſed in hunc locum neſcio quo modo tranſpoſita: cùm inferiùs, & apud illos, & in editione B. Hieronymi habeãtur, neque in pleriſque codicibus iiſque probatioribus hoc loco legantur. Quamobrem non neceſſe eſt ea bis expo-

exponere. cùm igitur ſuo loco ſint exponenda, ad præſens omittantur.

Et factū eſt iudiciū & contradictio potentior.

Adhuc, inquit B. Hieronymus, Propheta loquitur ad Dominum, quòd non veritate aduerſus ſe, ſed potentia iudicatum ſit, & nihil ex lege & iuſtitia ſuſtinuerit. Vnde & ipſum iudicium non habuerit finem ſuum. Finis autem iudicij eſt iudicare iuſtè. Aliter quoque poteſt intelligi; hoſtes Chaldæi qui non iure nitebantur; ſed iudicio ac litibus gaudebant, & contradicendo atque oppugnando Iudæos adoriebantur, potentiores facti ſunt & vicerunt. Sic namque de Chaldæis & hoſtibus gentis ſuæ, tamquam de litigatoribus loquitur. Iudiciū igitur & contradictio, hoc eſt, homines iudiciorum & rixarum artifices elati ſunt, & iis potentiores facti, pro quibus ius maximè ſtabat, lis non iure ſed potētia diremta eſt. Obtinuere cauſam, qui in iurgiis & diſceptationibus, ac litibus vſu valebant; victi ſunt qui meliorem cauſam habebant. ius à vi expugnatum eſt. Poſſunt etiam hæc verba ſic intelligi, ex eo quia non ius, ſed iniquitas valet, ac rapinis & iniuſtitia iudicum plena ſunt omnia, fit vt non comprimantur cōtentiones & lites, ſed excitentur & augeantur. Nonnulli parū immutatis verbis alium, ſed non longè diuerſum ſenſum afferunt. Et fuit lis & iurgium contra me, confirmatus eſt aduerſum me,

qui ſerebat iurgium & litem: qui mecũ rixabatur & contendebat, factus eſt aduerſum me, & mihi ex aduerſo obſtitit. Alij quia Hebraica verba ambigua ſunt, & in plures ſenſus deriuari poſſunt, hanc ſententiam ex iis verbis efficiunt, ac ſi prophetandi munus & onus, vt inuidioſum, Propheta detrectet, ac dicat: Cur oſtendiſti mihi iniquitatem & dolorem, idolatriæ nempe ſcelus in populo meo admiſſum, & pœnam quę illum eueſtigio conſecutura eſt, cùm à Chaldæis expugnandi & capiendi ſint, & eorum prædæ & iniuſtitiæ exponédi, quæ pœna illis infligenda, contra me eſt, & mihi pænè ante oculos obuerſatur? cùm æquius eſſet, vt homo in contentionibus & rixis ac diſceptationibus exercitatus hæc onera ferret, & has aſſumtiones ac prophetias prædicaret; non ego, cuius ingeniũ ac mores à contentionibus maximè abhorrent. Sed hæc expoſitio quamuis Hebraicæ litteræ accommodari poſſit, cum Latina tamen editione non cohæret. ſimilis tamen videtur illis Ieremiæ verbis per quæ prophetandi munus tamquam moleſtum auerſabatur. *Væ mihi*, inquit, *mater mea, quare genuiſti me virum rixæ, virũ diſcordiæ in vniuerſa terra?* & cap. 20. *Quia iam loquor, vociferans iniquitatem, & vaſtitatem clamito, & factus eſt mihi ſermo Domini in opprobriũ, & in deriſum tota die. & dixi, non recordabor eius, neque loquar vltrà in nomine illius.* Lxx. verò

aliter

aliter interpretati ſunt, & ex eorum interpretatione alius ſenſus à Græcis eruitur.
Contra me factum eſt iudiciū, & iudex accipit. Nam quia proximè ex humiliorum & infirmiorum hominum perſona cōqueſtus erat, opprimi ſe iniuſtè, & iniuriam pati, tanquam huic querelæ ſe teſtem adſcribens, cōtra me, inquit, factum eſt iudicium, & me vidente iudex accipit. non alienas modò querelas affero, & parum comperta crimina, ſed quod meis oculis probaui, & ipſe vidi, loquar; venalia iudicia eſſe, iudices pecunia corrumpi, auro ius expugnari, à pauperibus ius nō poſſe obtineri, muneribus in tribunalibus locum eſſe, diuitum iniquitati patere ſubſellia, inopiæ & ſolitudini ſeptos eſſe aditus omnes & obſeratos. Itaque Græci omnes accipiendi verbum de pecunia & corrupto iudicio intellexerunt. quamuis poſſit etiam de acceptione perſonarum non incommodè intelligi. Iudex accipit, nempe perſonas, & non ex veritate cauſam, ſed ex perſonarum qualitate pendit. quod alterum crimen eſt Iudicum, cùm cauſæ non ex iuſtitiæ libra ponderantur, ſed perſonæ expenduntur, & alio pondere ac menſura potentioribus, alio infirmioribus ius redditur.

Propter hoc lacerata eſt lex, & non peruenit vſq; ad finem iudicium, quia impius præualet aduerſus iuſtum, propterea egreditur iudicium peruerſum.

Propter hoc, quodnam illud? quia Iſraëlitę vident ipſi Nabucodonoſor omnia ad votum ſuccedere. Aut quia in impios tu non ſtatim animaduertis, & punis, ideo legẽ abiiciunt & negligunt. Aut fortaſſe hoc quod ait, propter hoc, non ſuperiùs dicta reſpicit, quaſi propter ea quæ dicta ſint lex laceretur, ſed cum ſequentibus coniungitur, quia impius præualet aduerſus iuſtum, propter hoc lex violatur, & infirmatur. propterea etiam egreditur iudicium peruerſum. Quantum mali exiſtat ex eo quòd impius ſuppeditat iuſtum his verbis exponit. Quia, inquit, Nabucodonoſor præualet aduerſus iuſtum Iudam; qui nõ abſolutè, ſed illius comparatione iuſtus dici poteſt, eumq́; per potentiá opprimit, ideo lex laceratur, iudiciumq́; ad finem nõ peruenit, ſed peruerſum egreditur; quaſi dicat, non tam laceratur & abrogatur lex propterea quòd Iudæi affliguntur, quàm quòd per impium & longè ſceleratiorẽ hominem affliguntur. nam cui malè eſt, fortaſſe ſuæ conſcientiæ iudicio admoneri poteſt, iure ſe pati, quia talia ſua merita fuerint; cùm verò peruerſos homines & impios extolli, & bonis omnibus florere videt, tum verò labat animus, & ad eá ſenſim opinionem deducitur, vt temere agi ferriq́ue omnia putet, nullam eſſe Prouidentiam, quę humanis rebus præpoſita ſit, & de hominum factis iudicet. itaque lex diuina contemnitur, & pro

nihilo iam ducitur, & in eam cogitationem veniunt homines, vt fruſtrà legibus diuinis obtemperari putẽt, & illud de Malachia dicant, *Vanus eſt qui ſeruit Deo: & , quod emolumentũ quia cuſtodiuimus praecepta eius? & quia ambulauimus triſtes corã Domino exercituum? ergo nunc beatos dicimus arrogantes, ſiquidem ædificati ſunt facientes impietatem, & tentauerunt Deum, & ſalui facti ſunt.*

Lacerata eſt lex, mutata, abrogata, irritata, vires amiſit: non obtemperatur legi, non acquieſcitur diuinis præceptis. qui priùs legem arctiſſimè retinebant, iam quaſi relaxato vigore remiſerunt, & vel de manibus abiecerunt, vel laxè nimium lenteq́; tenent. Nam cùm vident impiis & exlegibus bene eſſe, in lege retinenda quia nihil præſidij ſit, nihil ſibi eſſe laborandum putant.

Et non peruenit vſque ad finem iudicium.

Vident enim tuũ iudicium etiam ſi quando coruſcare videatur, tamen ad opus & vindictam impiorum non progredi, neque ferire impios & iniquos, ſed ſe retrahere & cohibere. Sin hæc non de diuino iudicio, ſed de humano intelligantur, deplorat Propheta Principum ac Iudicum Iudæorum iniquitatem. Cùm, inquit, impius aduerſus iuſtum præualeat, & iniquorum Principum potentia, ac Iudicum iniquitas iuſtorum cauſam obruat, nihil mirum ſi leges nullum robur ac vires habeant, & aduerſus vim iura ſileãt,

&

& iudicium vſque ad finem peruenire non poſſit, ſi ius ſuum iuſtus quiſquam obtinere, & innocentiam & cauſam ſuam innocens probare nequeat: nam peruenire ad finem iudicium hoc eſt, innocentem & iuſtum aliquem oſtendere, iuxta illud Pſalmi 36. *Et educet quaſi lumen iuſtitiam tuam, & iudicium tuum tamquàm meridiem*. Propterea etiam egreditur iudicium peruerſum. non modò namque iuſtus iuſtitiam ſuam oſtẽdere non poteſt, ſed etiam impius & iniuſtus abſoluitur, innocente damnato. ac tolerandũ eſſet, ſi quod ſuum eſt conſequi non poſſet iuſtus, niſi etiã pœna mulctaretur. Quibus in verbis illud attendendum eſt, legem ea de cauſa inuentam eſſe, vt iniquorum potẽtiæ obſiſtatur. Sunt ergo duo hæc tamquam inimicæ, pugnantq; inuicem, lex, & potentia iniuſta: atque vbi plus pollent leges, ibi rectè gubernantur & adminiſtrantur omnia: vbi verò lex ab iniqua potentia plagam acceperit, & victa fuerit, debilẽ iacere neceſſe eſt, neq; finem ſuum conſequi poſſe. Legis autem finis eſt iuſta iudicis ſententia. Cùm igitur lex viget ac pollet, facilè tamquam valens & integra ad hunc finem progreditur ac peruenit. at ſicubi per iniuſtam potentiam debilitata fuerit, nititur illa quidem ad eũ finem, ſed infirmis quodammodo pedibus claudicans eò peruenire non poteſt. Hoc igitur illud eſt quod ait, Lacerata eſt lex, & non per-

uenit vſque ad finem iudicium, quia impius præualet aduerſus iuſtum. Duobus verò modis finis legis quam diximus eſſe Iudicis ſententiam corrumpitur; altero cùm iniquus abſoluitur, altero cùm iuſtus mulctatur. Et quamuis vtroque modo contra legem fiat, tamen hoc ſecundum peius multo eſt. tolerabiliùs namque impunitas nocenti datur, quàm iuſtitia innocenti aufertur. Ergo Propheta conqueritur tantam eſſe iniquorũ in eo populo potentiam, vt legi ipſi vires omnes ademerint; iacere illam, neque ſolùm ad eum finem peruenire non poſſe, vt cauſam ſuam probare & obtinere innocens queat, & reum peragere, id enim vtcumque ferendũ eſſet, ſi à iudicio tam nocens quàm innocens ęquata inter vtrumque ſententia diſcederent; ſed ne id quidem per eam obtineri, vt ſi non ius ſuum innocens demonſtrare, ſaltem à ſe iniuriam arcere poſſit. Non peruenit, inquit, vſque ad finem iudicium, quia neque rei crimen, neque ius & innocentiam ſuam iuſtus oſtendit, & inſuper egreditur iudicium peruerſum, quia non modò impius abſoluitur, verùm etiã innocens damnatur.

Aſpicite in gentibus & videte, & admiramini, & obſtupeſcite, quia opus factum eſt in diebus veſtris, quod nemo credet cùm narrabitur. Ipſa B. Hieronymi verba ponenda ſunt, neque enim meliùs hæc explicare poſſumus. Ad ſuperiores, inquit, quere-

las

las cauſantis Prophetę & dicentis, Vſquequò Domine clamabo & non exaudies? vox Domini reſpõdentis inducitur, vt hanc iniquitatem quam in ſolo Iſraël fieri putat, cernat in gentibus, & quòd Chaldæis, non vt Propheta arbitrabatur, Iudás tantùm, & Ieruſalem traditi ſint, ſed omnes per circuitum nationes. Præferẽda eſt quidem hęc expoſitio; ſed tamen aliæ quoque recẽſendæ. Conuertit igitur ſermonem ad Iudæos Propheta, & inquit, *Aſpicite in gentibus*, quia ex gentibus hoſtis Nabucodonoſor erat; & inde aduerſus eos vẽturus Chaldæorum exercitus. Aut cùm vellet illis oſtẽdere, atque ſub oculos quodammodo pònere gentem Chaldæorũ, quàm terribilis ſit, quamque velox, & ad pugnãdum fortis, hortatur Iudæos, vt videant, & conſiderent, & animis attentis eam gentem quam deſcribit aſpiciant. Sed hæc quomodò cum ſuperiori capitulo cohæreant, oſtendendum eſt. Siue igitur ſuperius capitulum cõqueſtionem continebat, cur populus Iudæorum impio Regi Nabucodonoſor affligendus traditus eſſet, vt B. Hieronymus interpretatur, & Hebræi fere volunt, in præſenti capitulo quàm terribilis hoſtis ſit exequitur, vt eo magis Dei qui illum deiecerit ac perdiderit potentia demonſtretur. Siue ſuperior conqueſtio nõ de Nabucodonoſor & de Chaldæis erat, ſed de Iudæorum Principibus atq. Iudicibus legem & iudicia peruer-

uertentibus. in quam ſententiam Græci ferè omnes abeunt, iam debitam eorum ſceleribus pœnam excidiumque minatur. Ideoq; iuxta Lxx. ipſos illos ſceleſtos iudices ad ſuã perniciem aſpiciendã excitat. *Videte*, inquit, contemtores & reſpicite. ſic enim dixerunt Lxx. pro eo quòd in editione B. Hieronymi eſt, *Aſpicite in gentibus*, pro בַּגּוֹיִם nempe legerunt בוגדים & eorum interpretatio ab aliis interpretibus cõfirmatur. quidam enim, calumniatores tranſtulit, alius declinantes. Contemtores autem ſunt pacti ac fœderis violatores, illius præcipuè quod cum Deo initum eſt, qui alium Deum pro vero ſubſtituebant; de quibus idolorum cultoribus dixit ſuperiùs, ægreferens ad ea ſe tempora & ſcelera videnda reſeruatum, Quare oſtendiſti mihi iniquitatem & dolorem? Nam cùm idolatriam eorum ſuperiùs notaſſet, & ſibi tantum flagitium demonſtratum ægrè tuliſſet, ſubiecit illud etiam quod ad eius ſceleris ſupplicium pertinebat, videre prædam & iniuſtitiam contra me. Hanc igitur prædam & violentam oppreſſionẽ iam exponit. Videte, inquit, contemtores ac rebelles, & reſpicite: deinde quod ad viſionis terrorem magnitudinémq; pertinet, admiramini, & diſperdimini. diſperdi enim ſeu obſtupeſcere plus eſt quàm admirari. Deinde cauſam admirationis infert.

Quia opus factum eſt in diebus veſtris, quod nemo credet cùm narrabitur.

Ex his verbis intelligitur Prophetam tempore Nabucodonoſor vixiſſe, cùm ad ſuæ ætatis homines loquens dicat Chaldæos excitatos, ad regna ferè omnia euertenda venturos. Non ergo verum eſt quod Hebræi fabulantur filium Sunamitidis fuiſſe, cùm ab Eliſæo ad Nabucodonoſor pluſquam ducēti anni interſint. Vos, inquit, conſiderate opus hoc quod facio in diebus veſtris; iam enim nondum factum erat, ſed propè erat vt fieret, vtpote cùm in diebus eorum faciendum eſſet. quod ſiquis narret antequam fiat, adeò nouũ vobis videatur, vt fidem non accommodaturi ſitis, antequā res ipſa & experientia fidem fecerit. erat enim illi populo iam inde ab initio inolitum hoc vitium, vt Prophetis reprehendentibus, & Dei iras atque vltionem comminantibus, non crederent, immò verò monita & minas in riſum & iocum verterent.

Quia ecce ego ſuſcitabo Chaldæos, gentem amaram, & velocem, ambulantem ſuper latitudinem terræ, vt poßideat tabernacula non ſua.

Aperit quodnam opus ſit illud, quod ſe facere, vel feciſſe dixerat. excitaturum ſe Chaldæos, illorumq; animos ad bella cum diuerſis gentibus, & cum Iudęis ipſis gerenda permoturum, vt per illos idolatrię, & iniquitatis

pœnas-

pœnas exigat, idq́; non in longum tempus, ſed propediem facturũ, ne ſi prophetia diutiùs proferatur, contemtui ſit, & deſides animos faciat. Ecce, inquit, quaſi iam tempus adſit, & dies inſtet: ideoq́; aptè Lxx. præſentis temporis verbo vſi ſunt, Ecce ego excito Chaldæos, vt eſt in Hebraico quoque. Qualis autem ea gens ſit, ſuis quodammodo coloribus depingit, gentem amaram, inquit, & velocem, quorum illud ad animi, hoc ad corporis qualitatem pertinet; gentem amaram, immitẽ, ſæuam, quę nullo affectu, nulla benignitate mouetur, ſemper bellis & ſanguine & cæde gaudens, infeſta omnibus & inimica, amaro felle percita, efferata, implacabilis. Deinde velocem, corpore agili & expedito, & ad obſequendum felli & amaritudini promptam. Nonnulli etiam velocitatem ad animum pertinere volunt. nam quia veloces plerumque inconſiderati ſunt, ex velocitate inconſiderantiam & temeritatem intelligunt: præcipitem in rebus gerẽdis, nihil verentem. deinde tam multam, vt agmine ſuo fere per totam terrã porrigatur, aut nullis finibus contentam, ſed per totam terram quam lata eſt diſcurrentem, vt tabernacula, hoc eſt, ſedes non ſuas, prioribus habitatoribus expulſis poſſideat, quæ recentibus ſemper prædis & rapto viuat.

Horribilis & terribilis eſt, ex ſemetipſa iudicium & onus eius egredietur.

Non animo ſolùm ſæuo & furenti eſt,verùm etiam vultu & habitu ſtaturaque corporis terrorem præ ſe ferens. quibus verbis commemorare videtur Dei minas illas,quæ in Deuteronomio cap. 28. deſcriptæ ſunt; *Adducet Dominus ſuper te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus in ſimilitudinem aquilæ volantis cum impetu, cuius linguam intelligere non poßis: gentem procaciſsimam, quæ non deferat ſeni, nec miſereatur paruuli.*

Ex ſemetipſa iudiciũ & onus eius egredietur.

Variæ ſunt huius loci expoſitiones,& quia lubricus eſt, ſingulæ ſunt recẽſendæ. B. Hieronymus duas affert. Symmachus, inquit, interpretatus eſt, Ipſa ſibi iudicabit,& decreto ſuo egredietur. Vel ita intelligendum eſt,de ſua gente conſtituet principes, & poteſtas eius & gladius aliarũ gentium ſatellites non habebit; vel certè, quomodo fecit, fiet ei, & ſic vaſtabitur vt ipſa vaſtauit. Theodoritus Symmachi interpretationẽ citat his verbis: αὐτὸς ἑαυτὸν δοξάσει καὶ δόγμα τὸ ἑαυτοῦ ἐπεξελεύσεται. quæ verba mendo non carent. Primùm non δοξάσει,ſed δικάσει legendum eſt, vt B. Hieronymus tranſtulit, iudicabit. deinde videtur B. Hieronymus legiſſe καὶ δόγματι ἑαυτοῦ ἐπεξελεύσεται. & decreto ſuo egredietur. quorum vtrum ſit verius, affirmare non auſim. Chaldæus interpres hanc Symmachi verſionem probauit,cùm eodem modo verterit, ex eo iudicium eius, & decretum eius egrediuntur. Theodoritus ſic Symmachi in-

terpretationem intelligit. δικάζει δὲ οὐ νόμοις ἀλλοτρίοις ἀκολουθῶν, ἀλλὰ τὸ παραστὰν ποιεῖται νόμον. Iudicat non alienis legibus obſequens, ſed quod ſibi viſum fuerit, legem putat. Heſychius paulo aliter, οὐ δεηθήσεται κρίνοντος, αὐτὸς ἑαυτῷ προφητεύσει. nõ opus habebit iudice, ipſe ſibi prophetabit, ipſe ſibi iudex erit, & pro arbitrio ſententiam feret, ipſe ſibi prophetabit, non alio Propheta ſibi opus eſſe putabit, qui illum, quid faciendũ, à quo ceſſandum ſit admoneat. neque conſilium alienũ, neque ſententiam expectabit. Theophylactus verò aliter intellexiſſe videtur Heſychium. *Et onus eius ex ipſo egredietur.* Chaldæis, inquit, in more erat, antequã bellum aliquod ſuſciperent, cõſilium ex vatibus petere, & magos arte tentare, vt prædicerent prælij euentũ: ait igitur λῆμμα ſeu onus ejus ex ipſo egredi, hoc eſt prophetiam, & vaticinium ex ipſo ſibi eſſe. non enim è Prophetis ex alijs gentibus accitis quid euenturum eſſet ſciſcitabãtur, ſed è ſua gente natis. adiicit aliam expoſitionem Theophylactus, quam non ſatis probo. Iudicium inquit, vindictam vocat, quam contra Iſraeliticum populum Deus decreuerat. Hoc inquit iudicium eius, & onus ſeu λῆμμα ſeu aſſumtio eius, nempe prædicta aduerſus eum ſententia ex ipſo Babyloniorum Rege egredietur, & finem accipiet ac perficietur. non placet autem, quia vt ex Hebraico liquet, redit in eumdem actio,

 vt

vt cuius iudicium eſt, onus quoque ab eodem egrediatur. non enim ſic intelligitur quaſi onus & iudicium Iudaici populi ſit, ab ipſo auté Nabucodonoſor ſeu gente Chaldæorũ egrediatur, ſed cuius gentis iudicium ſit & onus, ab eadem gente egredi. itaque aptiſſimè tranſtulit B. Hieronymus reciprocationé hanc ſeruans, ex ſemetipſa iudicium eius & onus eius egredietur. Quamobrem expoſitionem illam præſtantiſſimam & accommodatiſſimam puto, ipſa gens ſibi iudicabit, non indigebit alieno auxilio vt ſe vindicet & vlciſcatur, ipſa quod viſum fuerit efficiet, non alienam opem in eo exequendo quod faciendum eſſe decreuerit expectabit. Recitandæ ſunt etiam Hebræorum expoſitiones. λῆμμα, quod noſter interpres vertit onus, nonnulli ſublimitatem ſignificare putant, & eleuationem. ij hanc ſententiam eſſe volunt. Gens Chaldæorum non ab aliis gentibus euocata & accita eſt, vt ſuper eas regnaret, ſed ex ipſa eadem iudicium & ſublimitas ſua egreſſa eſt. Iudicandi poteſtatem, & regnandi ſublimitaté non ab aliis datam accepit, ſed ſponte arripuit. Alij onus ſeu λῆμμα terrorem ac timorem intelligunt. Ex ipſa gente, inquiunt, iudicium, hoc eſt, iudices egredientur, ex ipſa onus ſeu terror, hoc eſt Reges qui onera terroremque omnibus imponant. nam onus pro terrore accipi docet ille locus de Iob 31. Semper quaſi tumentes

tes in me fluctus timui Deum, & pôdus eius ferre non potui, quod Lxx. dixerunt, καὶ ἀπὸ λήμματος αὐτοῦ οὐχ ὑποίσω. & ab aſſumtione eius non feram. Ceteræ Iudæorum expoſitiones indignæ ſunt quæ recitentur.

Leuiores pardis equi eius, & velociores lupis veſpertinis: & diffundentur equites eius: equites namq; eius de longè venient, volabunt quaſi aquila feſtinans ad comedendũ.

Non ſatis fuit è gentis qualitate terrere, niſi etiam equorum quibus veherentur leuitatem & velocitatẽ exprimeret, quos agiliores pardis dicit, ne quiſquam ſibi ſalutem in fuga poſitã ſperet. Ac pardi agilitas etiam in Oſeæ legitur cap. 13. Ero, inquit Deus, eis quaſi leæna, ſicut pardus in via Aſſyriorum. Propriè autem agilitas pardo tribuitur, velocitas lupis veſpertinis. Siquidem inquit beatus Hieronymus, lupi ſæuiores eſſe dicuntur nocte vicina, tota die fame ad rabiem concitati: itaque velocitatem ſæuitiam intelligit. Hanc expoſitionem etiam Hebræi ſequuntur. Aut lupos veſpertinos vocat, quia veſperi ad rapiendũ exeunt, vt eſt in Pſalmo: Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox, in ipſa pertrãſibunt omnes beſtiæ ſiluæ. Pro veſpertinis lupis Lxx. lupos Arabiæ dixerunt, vt etiã Sophoniæ tertio: Iudices eius vt lupi Arabiæ, non relinquebant in manè. in quo loco non tam ad velocitatem ſignificandam luporum ſimilitudinem aſſumſit, quàm ad rabiem &

 voraci-

voracitatem. quod etiam Lxx. videntur intellexiſſe, cùm poſuerunt, ὀξύτεροι ὑπὲρ τοὺς λύκους τῆς ἀραβίας. non enim tam velocitatem, quàm acrimoniã ſignificare voluerunt, cùm ὀξὺς vtrumque ſignificet. Aut fortaſſe cùm de equis dixiſſet, leuiores pardis eſſe, nunc redit ad homines, & eos acerrimos eſſe ad rapiendum ſimilitudine luporum veſpertinorum, ſeu Arabiæ oſtẽdit. Nam de Chaldæis militibus, non de equis dixit Ieremias quoque cap. 5. Idcirco percuſſit eos leo de ſilua, lupus ad veſperam vaſtauit eos, pardus vigilans ſuper ciuitates eorum. Concedendum eſt autem Lxx. interpretibus locorum ac regionum illarum gnaris, cùm Arabiæ lupos dixerint, acerrimos in ea regione lupos eſſe, quamuis in alio auctore non legerim, quinimmò ſi Arabiam affinem Africę intellexerimus, Africæ lupos & breuiores & non acres adeò Plinius dicat libro 8. cap. 22. Inertes hos inquit, paruoſque Africa & Ægyptus gignunt. aſperos truceſq; frigidior plaga. niſi fortè non tam Arabiæ, quàm regionis ad occidentem verſæ lupos Arabiæ intellexerunt; etenim Araba, occidens Hebraica lingua dicitur; quo modo B. Hieronymus accepiſſe videtur; Lupos, inquit, Arabiæ, id eſt veſperę & occidentis. Hactenus de equorum qualitate, nunc de multitudine equitum. *Et diffundentur equites eius.* Sic tranſtuliſſe Symmachum fatetur Hieronymus, quem ipſa

ſecutus eſt. effundentur autem ſeu diffundentur, hoc eſſe ait, corruent & allidentur in terrá. ſed id quomodo conuenire poſſit non video. quamobrem potiùs intelligendū puto, diſcurrent, in omnes ſe partes diſpergent ac fundent. Hebræi ad multitudinem referunt, vt ſit multiplicabuntur, multi erunt. Propriè autem Hebræum verbum eſt, tamquam frenis ablatis hac illac ſubſilient. quod idem LXX. dixerunt ἐξιππάσονται οἱ ἱππεῖς αὐτῶν. inequitabunt equites eorum. Et quãuis de longè veniant, non tamen itineris longitudine fatigabuntur, ſed volabunt aquilæ inſtar, ad prædam rapiendam feſtinantis. Videtur autem Propheta ad illud de Deuteronomio reſpexiſſe, Adducet Dominus ſuper Deu. 28. te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus, in ſimilitudinem aquilæ volantis cum impetu, cuius linguam intelligere non poſſis: gentem procaciſſimam, quæ non deferat ſeni, nec miſereatur paruuli. quod Propheta dixit aliis verbis, Horribilis & terribilis eſt.

Omnes ad prædam venient: facies eorum ventus vrens, & congregabit quaſi arenam captiuitatem.

Non eo conſilio ad bellandum venient, vt inde ſibi nomen atque gloriam pariant, ſed ad prædam certam atque paratam currãt, vt omnia diripiant & prædentur. neque prædæ ſpes ignobiliores milites accendet, nobiliores

res verò gloriæ cupiditas, ſed omnes tam ignobiles quàm nobiles prædam ſpectabunt, & direptionem ſibi propoſitam habebunt. Et quo modo virentia cũcta ad venti flatum vrentis areſcunt, ita ad aſpectum eorũ omnia vaſtabuntur. tantuſq; erit numerus captiuorum & prædæ, vt per ὑπερβολὴν etiã arenæ poſſit æquari. Symmachus in eandem ferè ſententiã tranſtulit, ἡ πρόσοψις τοῦ προσώπου αὐτῶν ἄνεμος καύσων. intuitus vultus eorũ ventus vrẽs. Alij, inſufflatio ſeu inſpiratio vultus eorũ ventus vrẽs; quo ſignificatur iræ & animorum ardor, quo obuia quæq; vaſtabunt. Lxx. verò hæc non de Chaldæis, ſed de impiis & iniquis Iudæis intellexerũt, de quibus initiò dixerat, Clamabo ad te iniuriã patiens, & non ſaluabis. quare oſtendiſti mihi laborem & dolorem, videre miſeriam & impietatem ? In hos igitur iniquos & impios venturam eſſe cladem ac perniciem prophetat. *Conſummatio*, inquit, *in impios veniet, reſiſtentes faciebus eorum ex aduerſo.* qui Chaldæis venientibus occurrẽt & ex aduerſo ſtabunt. Tantamq; fore prędam captiuorumq; corporum copiam, vt tãquam in arenæ cumulos coaceruanda ſit, non ad numerũ colligenda; nam arenæ maris comparare ſolet Scriptura multitudinem, quæ numero comprehendi non poteſt, vt Pſalmo 77. *Pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata.*

Et

Et ipſe de regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt.

Poſteaquam mores Chaldæorum habitumque deſcripſit, ad Regis eorum Nabucodonoſor ingenium & mores exponendos tranſit. De Regibus, inquit, triumphabit, & ante currum ſuum captiuos ducet; aut Reges deridebit, & in eo ſe glorioſiorem putabit ſi Reges cõtemnat & rideat. Tyranni quoque, qui Regibus inferiores aliquanto ſunt, ridiculi eius erunt, & eos pro ludicro habebit. Tyrannorũ enim nomine antiqui, non eos qui per vim & iniuriam dominatum vſurparent, ſed regulos & Principes ſignificabant. in quo ſuperbia ſimul & inhumanitas Nabucodonoſor indicatur, miſeris hominibus inſultantis, cùm parũ intra ſe reputaret communes belli caſus & omnibus fortunæ telis eſſe homines expoſitos, neminemque adeò immunem ac tutum, cui quod alteri accidiſſe viderit, id à ſe alienum putandum ſit. neque in eo ſapientiores Principes & Imperatores imitabatur, qui cùm duces hoſtium viciſſent, tantum abeſt vt eos ridiculos haberent, vt miſericordia commoti communes euentus belli etiam in hoſte defleuerint.

Ipſe ſuper omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem & capiet eam.

Quamuis firma ſit vrbs quam oppugnabit, & ad cælum vſque ſublimis, ridebit & contemnet eam, vt qui ſibi nihil obſiſtere poſſe

confidat, & munitiones omnes tam loci natura, quàm artis induſtria firmas ſuis viribus longè inferiores exiſtimet. iubebit enim vt è militibus quiſque terram congerat, vt exſtructo aggere, inde vel ex æquo, vel etiam de ſuperiore loco pugnans facilè vrbem arcemq; capiat. Quæ autem communiter tanquam de omni munitione dici à Propheta videntur, propriè de Tyro accipienda eſſe B. Hieronymus ſenſit. quod in Ezechiele capite 29. pleniùs legitur. quam cùm priùs inſula eſſet, aggere cõportato, & in mare coniecto peninſulam de inſula fecit, & ſibi aduerſus eam etiam per vndas aditum ſtrauit. Cui ſententiæ ſimilitudo vocũ Hebræarum munitionis & Tyri admodũ ſuffragatur; neque ſimilitudo vocum tantummodo, verùm etiam rerũ. nam idem ferè eſt Tyrus in Hebræo quod munitio. Sed quod ait, aggeribus coniectis de inſula peninſulã factam, id Græcis hiſtoriis aduerſatur, quæ id ab Alexandro geſtum cõmemorant. niſi fortè id fecit ante Alexandrum Nabucodonoſor, ſed quia tumultuaria congeſtio fuit, maris vndarumq; vi rurſus interrupta eſt. itaq; Alexander rem iam ab Nabucodonoſor cœptam, molibus iactis, & certiùs fundatis impleuit.

Tunc mutabitur ſpiritus, & pertranſibit & corruet: hæc eſt fortitudo eius Dei ſui.

Quantum ſecundæ fortunæ flatus ad animos tollendos valeat, exemplo Nabucodo-

noſor declarauit Propheta in his verbis, qui cùm non modò Reges & Principes ſuperaſſet; verùm etiam ipſi quoque naturæ in municiſſimis arcibus expugnandis vim feciſſet, & per mare viam exercitui parauiſſet, iam ſe intra ſuæ naturæ fines continere non potuit, ſed arrogantia & ſuperbia elatus ſibi etiam diuinos honores arripuit, ita quod euenire ſolet vt imperij potentiæq; adeptio animos quoque mutet: vt de Saul Scriptura teſtatur, eum poſteaquam Rex factus eſt, mutatum fuiſſe in virum alterũ; hoc idem in hoc Rege contigit, vt poſt ingentem ſecundarum rerum felicitatem, tãtis rebus geſtis hominem ſe eſſe obliuiſceretur, & Deum putaret. itaq; diuina ſententia eaq; iuſtiſſima factum eſt, vt hominis ſpeciem amitteret, & in belluæ formam verteretur, & hoc eſt quod ait, mutabitur ſpiritus, in ſuperbiam extollerur, & Deum ſe eſſe credens, imaginem aureã ſtatuet in Babylone in campo Dura, ad quam adorandam, edicto, minis ac pœnis vniuerſas gentes quibus imperabit, proſterni compellet. Quo facto pertranſibit, hoc eſt, in beſtiæ figuram immutabitur, & poſteà corruet. Quod autem in fine capituli dicitur, Hæc eſt fortitudo eius Dei ſui, εἰρωνικῶς eſt legendũ, vt ſit ſenſus: hæc eſt fortitudo eius, quam dediſſet Bel deus ſuus. Atque hæc eſt B. Hieronymi de hoc loco ſententia, à quo non multum diſcrepant Hebræi. Theodoritus autem

autem hæc verba tamquam de Deo dicãtur intelligit. Videns Deus,inquit,tantã ſuperbi Regis omnes gentes perturbantis inſaniam, iram in miſericordiam mutabit ac flectet, & afflictis Iudæorum rebus propitius aderit, & ab eis omnes moleſtias auferet. Sed verbum Græcum ἐξιλάσεται cùm actiuè à Lxx. poſitum ſit,pro eo quod eſt piaculum ſoluet,ille paſſiuè dictum putauit, ad propitiationem flectetur. quin etiam Hebræum ipſum verbum quod delinquere ſignificat, piaculũ eſt de Deo dictum putare. quamobrẽ eius expoſitio aliena eſt. Poteſt illud verbum, pertranſibit, ſic accipi, ac ſi dictum ſit,tranſgredietur limites ſibi præſcriptos, & terminos à Deo conſtitutos, vltra menſuram hominis ſe eſſe exiſtimabit,& corruet,ſeu,vt in Lxx. eſt,ἐξιλάσεται,quia tandem Dei flagellis admonitus & caſtigatus, pro ſuis peccatis Deũ propitiabitur, aut reus erit pœnæ luendæ, & piaculo exoluẽdo fiet obnoxius. Adiicit hoc loco B. Hieronymus Aquilam & Symmachum pro eo quod eſt,& corruet,vertiſſe,καὶ πλημμελήσει,& delinquet. quo verbo ſolere Scripturam ſanctam vti pro eo quod eſt, deſinet eſſe quod fuerat.nam ille & regnum & hominis imaginem amiſit.deſiit ergo & Rex & homo eſſe,quod priùs fuerat.Poteſt etiam illud ſignificare,dolebit,eum pœnitebit. ſolet enim ſic loqui Scriptura, vt delinquendi verbo ſignificet dolorem animi atque pœniten-

nitentiã. vnde Eccleſiaſtici 19. cùm in Græco ſit, *qui peccat in animam ſuã delinquet*, Latinè redditum eſt,& quidem optimè, *qui peccat in animam ſuam, pœnitebit*. Hebræi putant ſignificare, peccabit, delictũ admittet; quod peccatum quódnam fuerit, continuò ſubiectis verbis declarat. *Hac eſt*, inquit, *fortitudo eius Dei ſui*, in hoc peccabit & delinquet; quòd res fortiter à ſe geſtas, & potentiam à Deo vero ſibi datam, vt gentes multas vinceret atque ſubiugaret, Belo Deo ſuo adſcribet. Ne illa quidem intelligentia horũ verborum contemnenda eſt, mutabitur ſpiritus eius & cogitatio, & alio ſpiritu eum inuadente, & per illum tranſeunte eumq́; concitante, eouſque deueniet vt peccet atq. delinquat, neque Deo vero det gloriã, ſed Belo potentiam ac fortitudinem ſuam acceptam ferat; ſic dictum eſt enim in Numeris cap. 5. de ſuſpicione zelotypiæ, ſi pertranſierit per eum ſpiritus zelotypiæ, vt habetur in Lxx. & in Hebræo. Væ nobis miſeris, qui diuerſorũ ſpirituum & cogitationum domicilium facti ſumus, neque diu bonas continere poſſumus, ſed vt per imbrices aquæ pertranſeunt, ſic alias atque alias in animum cogitationes admittimus, aliiſq́; ſuccedentibus alias pellimus, & plerumque meliores. ſic hic miſer, cùm Domini iuſſu & auxilio bellũ tot gentibus intuliſſet, atque etiã debellaſſet, quod eius militiæ Dux Nabuzardan confeſſus eſt;

vt

vt eſt apud Ieremiam cap. 40. *Dominus*, inquit, *Deus tuus locutus eſt malum hoc ſuper locum iſtum, & adduxit, & fecit Dominus ſicut locutus eſt, qui peccaſtis Domino. & non audiſtis vocem eius*: parto táto decore, vbi gratias agere Domino tam glorioſæ victoriæ largitori debuit, longè diuerſis cogitationibus animũ patefecit, & Belum ſuum adiutorem putauit, cui inſignem ſtatuam vt gratiam referret conſtituit. Pertranſiuit ergo ſuper illum ſpiritus blaſphemiæ & idolatriæ, à quo ſpiritu concitatus ad delinquendum adactus eſt.

Numquid non tu à principio Domine Deus meus, ſancte meus & non moriemur? Domine in iudicium poſuiſti eum; & fortem vt corriperes fundaſti eum.

Scribas de quibus dixit Ieremias cap. 8. verè mendacium operatus eſt ſtylus mendax Scribarum, hunc locum religionis gratia ne aures offenderet pias, commutaſſe paululum Hebræi tradunt, & pro eo quòd priùs legebatur, & non morieris, correxiſſe, & nõ moriemur, ne verbum moriendi de Deo etiam negando dictum videretur. Ionathas certè, qui in Chaldæum Prophetas vertit, ſingulari numero legiſſe videtur. Sed quia nullum veſtigium huius mutationis, neque in Latina verſione vulgata, neque in Græca inuenimus, neque vllus Eccleſiaſticorũ auctorum qui in hunc Prophetam ſcripſerũt, eius meminit, ideo ſic nobis hic locus exponendus

eſt,

eſt, vt poſuimus. Qui quomodo cum ſuperioribus contexatur, variȩ ſunt expoſitorum ſententiæ, B. Hieronymus qui in Prophetarum commentariis accuratiſſimus eſt, putat Prophetam cùm ſuperiùs de hoſtium populi gentiſq́; ſuȩ iniuriis conqueſtus, Deum quodammodo accuſare viſus eſſet, audito Dei iudicio, quòd ille ipſe Nabucodonoſor tam ſæuus & immanis caſurus eſſet, & poſt multorum correptionem puniendus, pœnitẽtis affectu ac blandientis hæc loqui. Ergóne tu es Domine Deus meus, Sancte meus, qui à principio nos creaſti, cuius miſericordia huc vſque ſubſiſtimus. Theodoretus per hęc verba gratias Deo agere Prophetam putat, qui cùm caſtigarit per Nabucodonoſor ſcelera populi ſui, tandem ad miſericordiam flexus, non illum penitus extingui & interire paſſus ſit, ſed inter flagella ſeruarit. Hebræi orationem in his verbis cõtineri dicunt. nam cùm accepiſſet à Deo Propheta, & reuelatum illi fuiſſet quanta hoſtis potentia futura eſſet, quantum terrorem omnibus gentibus iniecturus, nullum è Regibus aduerſus quos bellum gereret, non ab eo expugnandũ, nullum adeò aut natura, aut manu munitum locum quo vi non potiturus eſſet; pertimeſceretq́; tantam hoſtis ferociſſimi potentiam, in perſona totius Iſraëlitici populi, orat Deum ne penitus populũ ſuum excindi patiatur. Certè, inquit, tu Domine iam inde ab initio noſtri

ſtri generis Deus meus es, quem vt colerem in animum induxi, quem defenſorem ac tutorem adoptaui, ſub cuius alas ſucceſſi ac ſubij, cui tamquam peculiaris populus dicatus ſum. Tui igitur muneris eſt, quem ſuſcepiſti defendere, cultorem clientemq; tueri, ne moriamur; & funditus genus noſtrũ huius tam fortis & potentis inimici viribus exciſum intereat. Hæc mihi exponendi ratiõ maximè placet. Nam illud, nonne, ſæpe vim prædicandi habet. vnde in Pſalmo 84. *Nonne tu conuertens viuificabis nos*. Nonnullis placuit neque orationem in his verbis, neque gratiarum actionem cõtineri, ſed potiùs declarare Prophetam in tanta Regis impij proſperitate, tantoq; rerum ſucceſſu, quid illud ſit quòd ægrè ferat. nõ ego, inquit, ideo conqueror quòd à Nabucodonoſor ne meum genus penitus excindatur, timeã, certus ſum enim de tuo patrocinio, nec vereor quin cùm tu Deus meus ſis, & patres meos iam inde ab initio noſtri generis tutos ab hoſtibus conſeruaris, nos quoque conſeruaturus ſis, & tuam benignitatem atque clementiam in nos oſtenſurus, adeò vt nihil timẽdum ſit nobis ne pereamus. Huc accedit quòd tu *Domine in iudicium poſuiſti eum, & fortem vt corriperes fundaſti eum*, ſeu vt Hebræi intelligunt, *& tu fortis vt corriperes fundaſti eum*. Ad hoc Nabucodonoſor Regẽ tu Deus qui fortis es, fundaſti ac paraſti, vt populũ tuum corri-

corriperes: Iudicium porrò & correptio non eò ſpectant, vt penitùs quos iudicas & corripis, conſumas: Non ergo hac de cauſa conqueror, quaſi metuam ne funditus mea gens intereat: Illud mihi indignum videtur, quòd cùm *Mundi ſint oculi tui ne videas malum*, neque eiuſmodi ſis vt iniquitatẽ probes ac velis, & cùm à tua perfectione longiſſimè malum abſit, & illud nõ poſſis aſpicere, æquum videbatur & conſequens, vt Nabucodonoſor, & eius populum pro illorum impietate potiùs euerteres ac perderes, neque adeò ſecundo felicitatis curſu progredi ſineres, vt omnes fere gentes ſuo imperio ſubderent.

Quare non reſpicis ſuper iniquè agentes, & taces deuorante impio iuſtiorem ſe?

Quod ſi ita eſt, neque tibi malum placet, & iniquitatẽ reſpicere probareq; non potes, cur igitur reſpicis contemtores, & faciẽ tuam ſerenam illis oſtendis? cur taces dum hic impius Nabucodonoſor Ieruſalem euertit, & regnum Iuda deſtruit, & populum tuum captiuum ducit? qui quamuis peccatores ſint, non dubium eſt tamen quin hoc impio Rege ſint iuſtiores. Hæc quaſi curſim exponendo dicta ſunt, nunc ſingula verba expendamus. Propheta populi perſonã ſubit, & Dominum, quo tamquam proprio nomine ſolet appellare Scriptura ſummam illam diuinitatis eſſentiam, ſuum Deum & ſanctum appellat. *Numquid*, ait, *tu à principio Domine,*

Deus meus, Sancte meus. ac Deũ vocat ſuum; quiá ad eum tamquàm ad patronum ac protectorem confugerat ille populus, ad quem illius populi velut ſpecialis conſeruatio pertinebat. Sanctum verò Iſraël, quòd in eo glorietur Iſrael & magnificetur, aut illum laudare ac magnificare debeat, illius laus, decus & gloriatio ſit, vnde & laudem Iſrael vocat Dauid Pſalmo 21. *Tu autem in ſancto habitas, laus Iſrael.* Aut quia ſanctificare eſt ſibi aliquam rem tamquam propriam aſſerere, & ſuam ex communi facere, & ſanctificare dictus eſt Deus populum quem ſibi tamquam ſpecialiter dicatũ vindicauit, Sanctus Iſrael vocatur Deus, quòd eius populi ſpecialis eſt & priuato quodam modo Deus. ſunt enim propemodum relatiua ſanctus & ſanctificatus. nam qui vindicatur tamquam proprius cultor, ille ſanctificari dicitur; cui aſſeritur, vel qui aſſerit & vẽdicat ſibi, ille ſanctus appellatur. inde illæ locutiones in Leuitico, & in Exodo: *Ego Dominus qui ſanctifico vos.*

Domine in iudicium poſuiſti eum] & fortem vt corriperes fundaſti eum. Hebræi non accuſandi caſu, fortem, ſed vocandi interpretantur, vt ſit, & fortis, hoc eſt, tu fortis. quibus ſuffragatur, quod ſicut dixit, Domine in iudicium poſuiſti eum, ad eumdem modum requiri videtur, & fortis ad correptionem, ſeu vt corriperes fundaſti eum. eſt enim eiuſdem ſententiæ repetitiò, præterquam quòd non-

nonnumquam fortis, pro Deo ſolet accipi in Sacris litteris, vt apud Eſaiam 30. *Vt intret in montem Domini ad fortem Iſraël.* Sed nihil mouẽdum eſt de interpretatione Hieronymi, cùm ille accuſandi caſu tranſtulerit. non, inquit, ideo creaſti eum & conſtituiſti, vt populum tuum funditus perderet, ſed vt præuaricantes iudicaret ac modicè corriperet. Eſt autem Sapientiæ diuinæ, & prudentiſſimæ adminiſtrationis opus, virum impium in iudicium ponere, vt per eum diuinum iudicium exerceatur, & improbum in correptionem aliorum; ita vt probitas ex improbo, ex impio pietas aliis paretur aut reparetur. Hoc autem ideo dicit, vt Dei mandatum ac iuſſa à Nabucodonoſor violata eſſe coarguat, quòd cùm ille in iudicium à Deo ſit poſitus, & vt corriperet, hoc eſt, vt cum iudicio & modicè corriperet, vt ait Ieremias cap. 10. Corripe me Domine, verumtamen in iudicio, non in furore tuo; inſana tamen cupiditate, & amenti furore incitatus, conſumere maluerit & perdere, quàm adhibito caſtigandi modo corripere.

Mundi ſunt oculi tui ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris: quare non reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces deuorante impio iuſtiorem ſe?

In his verbis ſuperiorem quæſtionem quodammodo renouat, quaſi nõ omnem dubitandi cauſam proxima reſponſio ſuſtulerit.

nam etſi Iſraelitæ propter ſua peccata, vt his malis atque calamitatibus vexarentur commeriti ſint,& Nabucodonoſor tamquã vindex ſcelerum illorum, & vitæ caſtigator factus ſit atque conſtitutus, non tamen dubitatione caret, cur id per hominem ſceleſtiorem fieri permiſerit Deus,& multo peiorem iis quos caſtigabat; &, quod videtur moleſtius, non modò per eum flagellari Iſraelitas paſſus ſit,verùm etiam illum de alienis calamitatibus creſcere, & aliorũ miſerias in ſua emolumenta,felicitatemq; vertere. Querelas verò quæ parum piæ videri poterant religioſa præfatione præmollit. Scio, inquit, mũdis te eſſe oculis, neque eiuſmodi vt malum videre & ad iniquitatem reſpicere poſſis. nam cùm ſis iuſtus, & iuſtitiam diligas, æquitatem vident oculi tui, & illa oblectantur, illamq; probant. Si igitur eiuſmodi es, quare reſpicis ſuper iniqua agentes? eiuſdem enim eſt probitate oblectari, & improbitatem odiſſe & inſectari eiuſdem eſt æquos viros reſpicere,& iniquitatẽ auerſari. Cur igitur qui iniquitatem odiſti & auerſaris, iam reſpicis ſuper iniquè agentes, vel, vt Lxx. dixerunt,contemtores,hoc eſt,in ipſum Nabucodonoſor,quem in ſequenti capite contemtorem vocat, vbi ait, Qui autem arrogans eſt & cõtemtor, vir ſuperbus,nihil perducit ad finem. cur taces, & tãquam de iniquis hominibus vlciſci nihil ad te pertineat diſſi-

diſſimulas, dum impius iuſtiorem ſe deuorat,& abſorbet ac perdit? Aduertendum autem in textum Latinum irrepſiſſe negationem, quæ neque in Hebræo, neque in Græco eſt, *Quare non reſpicis ſuper iniqua agentes.* & contrarium eſſe ei quod propoſuerat, reſpicere ad iniquitatem non poteris. nam ſi non reſpicit ſuper iniqua agentes, non erat querelæ locus. id enim faceret quod ſui muneris eſt,& ad eius naturam pertinet, de qua dixit, & reſpicere ad iniquitatem non poteris. Sed illud conqueritur Propheta, quòd cùm reſpicere ad iniquitatem non poſſit, tamen in Nabucodonoſor contrarium videatur facere, & reſpicere ad iniqua agentes ſeu contemtores. Græci, è quibus eſt Theodoritus, cùm in principio Habacuc ex perſona infirmorum quidem, ſed non malorum hominum, eum de iniquitate Iſraëlitarum ac Iudæorum principum, ſubditos vexantium, conqueſtum eſſe dixerint, & ad eam conqueſtionem reſponſo diuino occurſum eſſe, comminante Deo excidium Iudææ per hoſtes Chaldæos, & eorum Principem Nabucodonoſor, ex ea reſponſione alteram hanc quæſtionem exortam dicunt; qua de cauſa iuſtiſſimus cùm ſit, peſſimis hominibus Iudæos puniendos tradiderit, qui leuiora peccaſſent: neque id eum tanquam diuinæ prouidentiæ rationes curioſius inueſtigantem dicere, ſed hominũ eiuſmodi cauſas inqui-

rentium cogitationes deſcribentem. Scio, inquit, te fontē eſſe iuſtitiæ, neque vnquam aliqua in re tibi cum iniquitate conuenire poſſe, ſed tamen aueo dicere, cur arrogantes homines & deſperatos frui rerum omnium felicitate ſinis, contraque minùs malos homines à talibus vexari permittis? Tale quiddam etiā Ieremias ad Deum loquitur, *Iuſtus quidem es tu Domine ſi diſputem tecum, verumtamen iuſta loquar ad te. Quare via impiorum proſperatur, bene eſt omnibus qui prauaricantur, & iniquè agunt?*

Et facies homines quaſi piſces maris, & quaſi reptile non habens Principem.

Æquúmne eſt, vt cū homines ſub tuo imperio & gubernatione ſint, & inter homines illi pręcipuè qui te Dominū ac Deum ſuum agnoſcunt, & peculiari ſpecialiq; modo ſub tuum imperium confugerunt, quales ſunt Iſraëlitæ, ij ſic æſtimentur, & ſic cum eis agatur, ac ſi eſſent piſces maris, qui cùm ad neminem propriè pertineant, nullumq́ue Dominum propriè habeant, qui piſcantes prohibeat, omnium libidini & arbitrio ad capiendum ſunt expoſiti?

Totum in hamo ſubleuauit, traxit illud in ſagena ſua, & congregauit in rete ſuo; ſuper hoc lætabitur & exultabit.

Quia rapacitatem Nabucodonoſor in hominibus capiendis piſcationi comparauit, ſeruat eandem ſimilitudinē, & eius immodicam

dicam cupiditatem piſcatori cóparat, quidquid in mari piſcium ſit diuerſis inſtrumentis expiſcáti, hamo, vel ſagena, vel reti, vt qui hamum effugerint, in ſagenam incidant, qui ſagenam euaſerint, retibus laxioribus includantur. quod cùm illi proſperè ſucceſſerit, exultabit ac lætabitur. Videtur autem accuſare Nabucodonoſor in his verbis, quòd cùm in iudicium à Deo poſitus eſſet, vt modicè caſtigaret, atque corriperet, illius mandatum nõ tenuerit, ſed eo ſit ad occaſionem ſuæ inexplebilis cupiditatis abuſus, & qui medioeri caſtigatione cõtentus eſſe debuiſſet, totum genus hominum hamo & ſagena & reti ſit expiſcatus, & vt LXX. dixerũt, conſummationem contra Domini præceptũ fecerit. Hamo autem extrahuntur piſces grandiores, ſed ſinguli: in ſagena & reti minutiores illi quidem, ſed multi: ergo hamus figura eſt, cùm Principes & Reges cepit; ſagena & rete, cũ exercitus totos vrbeſq; ſubiugauit.

Propterea immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo; quia in ipſis incraſſata eſt pars eius, & cibus eius electus.

Præclarè hunc locum B. Hieronymus declarauit, neq; meliùs aperiri poſſe puto quàm ille dixit; Idolum, inquit, ſignificat, quod fecit in campo Dura, & ſimulacrum Beli, cui quaſi grandi ſagenę immolauit pinguiſſimas victimas, totas quas vicerat nationes ad cultum eius cogens. In ipſis quippe, hoc eſt, in

 idolis

idolis ſuis incraſſatũ eſſe ſe credens, & ſuam partem, id eſt, omnes ſe habere diuitias, quaſi grandes piſces etiam Principes quoque atque Reges ſuo ſubiugauit imperio, quas eſcas electas vocat. Doctores etiá Hebræorum in ſagenæ nomine idolum intelligunt, à quo ſe ille victoriam omnium gentium accepiſſe inſanus arbitrabatur. quod etiam ſuperiùs breuiter indicauit, cùm dixit. *Hæc eſt fortitudo Dei ſui.* Sed quia B. Hieronymus paulo pòſt ſagenam eius exercitum ſignificare dicit, poteſt etiá hoc loco intelligi, immolaſſe eum ſagenæ ſuę, exercitui ſuo videlicet prædam diripiendam dediſſe, epulas etiam atq; conuiuia ob victoriæ lætitiam, & dona præbuiſſe, quia illius viribus incraſſatus ipſe ſit, atque ditatus, & præclaris ſpoliis impletus. Tertia quoque ſagenæ expoſitio eſt, illum ſagenæ ſuæ immolaſſe, quia viribus ſuis, atq; potentiæ victoriam tribuerit, quam expoſitionem Theodoritus attulit.

Propter hoc ergo expandet ſagenam ſuam, & ſemper interficere gentes non parcet.

Quia ſemel dulcedinem prædæ expertus eſt, & aliorum rapinis expleri præclarum putauit, & in ſua piſcatione fælix fuit, ideo expandet ſagenam ſuam, & exercitum aduerſus diuerſas gentes ducere, & hoſtium cruore ac mortibus paſci non ceſſabit. Sed quia in Hebræo præponitur littera כ quæ interrogantis ſeu admirantis ſignum eſſe ſolet, vehemen-

hementiam quandam habebit hæc extrema querelarum harum ſententia. Num, inquit, hic impius, cum Deo ſuo, vel viribus ſuis tribuat quę proſperè geſſit, æquū eſt propterea, perinde ac piſcator ſolet vbi piſcatio ſucceſſit, euacuatis retibus rurſus ad piſcandum redire, vt hic quoque euacuata ſemel exercitus ſui ſagena rurſus illam iaciat & expandat, & alia illi captura ſuccedat, vt interficiēdi homines nullus ſit modus? verbum יריק beatus Hieronymus, expandet, eſt interpretatus, Lxx. verò ἀμφιβαλεῖ, iactabit rete. Ex Hebræis nonnulli accipiunt pro eo quod eſt euacuabit: itaque hūc ſenſum eruūt. Num, inquit, ſi proceſſerit illi piſcatio, propter hoc tamquam ſemel expletus euacuabit & otioſam eſſe ſinet ſagenā ſuam? minimè inquam. immò verò interficere gentes numquā ceſſabit, & proſpero euentu ad alias ſemper piſcationes allicietur. Hac itaq. extrema ſententia tota querela tamquā aculeo quodam infixo clauditur. & id quod fortiſſimum videbatur, ad extremum ponitur, etiamſi omnia vltima ſupplicia Iſraëlitæ mereantur, iniquum tamen quodammodo videri proſperitate & ſecundis rebus impiiſſimi hominis animos erigere, & ad ſtragem cædemq; ſine vllo modo aut termino faciendam incitare.

CAPVT II.

VVLGATA EDIT.

SVPER cuſtodiam meam ſtabo, & figam gradum ſuper munitionē, & contemplabor vt videam quid dicatur mihi, & quid reſpōdeam ad arguentem me; & reſpondit mihi Dominus, & dixit: Scribe viſum & explana eū ſuper tabulas, vt percurrat qui legerit eum: Quia adhuc viſus procul, & apparebit in finem, & non mentietur: Si moram fecerit, expecta illū; quia veniens veniet, & non tardabit. Ecce qui incredulus

eſt

LXX. EDITIO.

SVPER cuſtodiam meam ſtabo, & aſcendā ſuper petram. & contemplabor vt videā quid loquatur in me, & quid reſpondeam ad correptionem meam; & reſpondit ad me Dominus, & dixit: Scribe viſionem, & manifeſta in buxum, & perſequatur qui legit ea. Quia adhuc viſio in tempus, & orietur in finem, & non in vacuum. Si defecerit, ſuſtine eū; quia veniens veniet, & non tardabit: ſi retraxerit ſe, non placebit animæ meæ

in

VVLG. EDIT.

eſt, nõ erit recta anima eius in ſemetipſo. Iuſtus autem in fide ſua viuet. Et quomodo vinum potantem decipit, ſic erit vir ſuperbus, & non decorabitur qui dilatauit quaſi infernus animam ſuam, & ipſe quaſi mors, & non adimpletur. Et congregauit ad ſe omnes gẽtes, & coaceruauit ad ſe omnes populos. Numquid nõ omnes iſti ſuper eũ parabolã ſument, & loquelam ænigmatum eius; & dicetur: Væ ei qui multiplicat non ſua: vſquequo & aggrauat contra ſe denſum lutum? numquid non repentè

LXX. EDIT.

in eo. Iuſtus autem ex fide mea viuet. Qui autem arrogans eſt & contemtor, vir ſuperbus nihil perducit ad finem: qui dilatauit ſicut infernus animam ſuam, & iſte quaſi mors non adimpletur. Et congregabit ad ſe omnes gentes, & accipiet ad ſe omnes populos. Nonne vniuerſa hæc aduerſum eum parabolam ſument, & propoſitionem ad narrationem eius, & dicent, Væ qui multiplicat ſibi quæ non ſunt ſua: vſquequo aggrauat torquẽ ſuam grauiter, quia ſubitò

VVLG. EDIT.

repentè conſurgent qui mordeant te, & ſuſcitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis? Quia tu ſpoliaſti gentes multas, ſpoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis, propter ſanguinem hominis & iniquitatẽ terræ, ciuitatis et omnium habitantium in ea. Væ qui congregat auaritiam malam domui ſuæ, vt ſit in excelſo nidus eius, & liberari ſe putat de manu mali. Cogitaſti cõfuſionem domui tuæ, cõcidiſti populos multos, & peccauit anima tua. Quia lapis de pariete cla-

LXX. EDIT.

ſubitò conſurgent mordentes eum, & vigilabunt inſidiatores tui, & eris in rapinam illis? Quia tu expoliaſti gentes multas, expoliabunt te omnes reliqui populi, propter ſanguinem hominum, & impietatis terræ, & ciuitatis & omnium habitantium eius. O qui multiplicat auaritiam malam domui ſuæ, vt ponat in excelſo nidũ ſuum, & eruatur de manu malorum. Cogitaſti confuſionem domui tuæ, conſumſiſti populos multos, & peccauit anima tua. Propter quod lapis de

VVLG. EDIT.	LXX. EDIT.
clamabit, & lignum quod inter iuncturas ædificiorum eſt reſpondebit. Væ qui ædificat ciuitatem in ſanguinibus, & præparat vrbem in iniquitate: numquid non hæc ſunt à Domino exercituum? Laborabunt enim populi in multo igne, & gẽtes in vacuum & deficient: quia replebitur terra vt cognoſcant gloriam Domini, quaſi aquæ operientes mare. Væ qui potum dat amico ſuo, mittens fel ſuum & inebrians, vt aſpiciat nuditatem eius. Repletus es gnominia pro gloria: bibe	*de pariete clamabit, & ſcarabæus de ligno loquetur ea. Væ qui ædificat ciuitatẽ in ſanguinibus, & præparat vrbem in iniquitatibus: nonne hæc ſunt à Domino omnipotente? Et defecerunt populi multi in igne, & gentes multæ coanguſtatæ ſunt: quia replebitur terra vt cognoſcat gloriam Domini, quaſi aquam ad operiendum maria. Væ qui propinat proximo ſuo ſubuerſione turbida, & inebrians vt aſpiciat in ſpeluncis eorum. Saturitatem ignominiæ pro gloria bibe*

VVLG. EDIT.

bibe tu quoque, & conſopire: circũdabit te calix dexteræ Domini, & vomitus ignominiæ ſuper gloriam tuam. Quia iniquitas Libani operiet te, & vaſtitas animalium deterrebit eos, de ſanguinibus hominum, & iniquitate terræ, & ciuitatis, & omnium habitãtium in ea. Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit illud fictor ſuus, conflatile & imaginem falſam? quia ſperauit in figmento fictor eius, vt faceret ſimulacra muta. Væ qui dicit ligno, Expergiſcere: ſurge,

lapidi

LXX. EDIT.

bibe tu, & commouere. circundedit te calix dexteræ Domini, & congregata eſt ignominia ſuper gloriam tuam: Quia impietas Libani operiet te, & miſeria beſtiarum terrebit te, propter ſanguinẽ hominum, & impietates terræ, & ciuitatis, & omnium habitantium in ea. Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſerũt illud: formauerunt illud conflatile, imaginem falſam? quia confidit fictor in figmento ſuo, vt faciat idola muta. Væ qui dicit ligno, Euigila & exurge,

&

VVLG. EDIT.	LXX. EDIT.
lapidi tacenti: numquid ipſe docere poterit? Ecce iſte coopertus eſt auro et argento, & omnis ſpiritus non eſt in viſceribus eius. Dominus autem in templo ſancto ſuo: ſileat à facie eius omnis terra.	*& lapidi eleuare: & ipſum eſt imago, & eſt productio auri & argenti, & omnis ſpiritus non eſt in eo. Dominus autem in templo ſancto ſuo: reuereatur à facie eius omnis terra.*

EXPOSITA ſeu ſua ſeu populi querela, & graui expoſtulatione facta, cùm haud facilè occurri illi poſſe Propheta videret, niſi qui Dei ſpiritu edoctus eſſet, & cui reuelatum tantæ quæſtionis myſterium, vt ſe habiliorem diuinis oraculis accipiendis præberet, Stare ſuper cuſtodiam ſuã, & figere gradum ſuper munitionẽ conſtituit; cùm enim Propheta ſit, non in eo tantùm ſi de Dei bonitate & Prouidentia nihil dubitet, explere ſe munus Prophetæ putat, ſed ſi querelis etiã arguentium & expoſtulantium, & conquerentium hominum occurrere & reſpondere poſſit: quod præſtare niſi Dei reſponſis admonitus, non facilè poteſt. quod idem in Pſalmo legimus, in quo cùm eadem quæſtio agitata eſſet à Dauid, tandem eouſque labo-

rat, quouſque ingrediatur in Sanctuariũ Dei, & intelligat in nouiſſimis. In eo autem quod ait, vt videam quid dicatur mihi, & quid reſpondeam ad arguentem me, oſtendit ſuperiorem orationem atque expoſtulationem non ex Prophetæ ſententia, ſed ex infirmorum hominum ſenſu fuiſſe depromtã; quorum quæſtioni vt reſpõdeat, ſui muneris eſſe confitetur. Quæ ſit cuſtodia ſuper quam ſe ſtaturum dicit, præclarè Gregorius Theologus docet in oratione de Paſcha in ipſo ſtatim principio, *ἐπὶ τῆς φυλακῆς μου στήσομαι, φησὶν ὁ θαυμάσιος Ἀββακούκ, τῆς δεδομένης μοι παρὰ τοῦ πνεύματος ἐξουσίας καὶ θεωρίας.* Super cuſtodiam meam ſtabo, inquit vir admirabilis Habacuc, nempe ſuper poteſtate & contemplatione quæ mihi à ſancto Spiritu data eſt. quod idem ferè auditor eius B. Hieronymus dicit; Stabo, inquit, in ſpelũca mea, id eſt, in prophetiæ meæ ſublimitate. Sed quia cuſtodiæ nomen multiplex eſt, nam & vigilum officium vrbem vel arcem cuſtodientium ſignificat, & vicem ſtatuti alicuius muneris, vt erant in templo Leuitarum *ἐφημερίαι*, & cautionem aliquam atque obſeruationem à rebus quæ aduerſa ſunt & contraria, diuerſas hæc multiplicitas vocis expoſitiones peperit, ſed quæ tamen in vnũ conuenire poſſint. Fuerat igitur Propheta à Deo conſtitutus, qui tamquam ſpeculator peruigil excubias duceret, & quid euenturũ eſſet,

proſpiceret & populo prædiceret: itaq; Deus ad Ezechielem loquitur: Fili hominis ſpeculatorē dedi te domui Iſrael, & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me. reuera namque ſublimis debet eſſe, & in edito loco ſtare; qui Dei ſit verbum auditurus, & populo annuntiaturus: ideoq; rectè etiam illi ſenſerunt, & in eumdem ſenſum conueniunt, qui cuſtodiam idem eſſe ac ſpeculam dixerunt. Vnde vtrumque iunxit Eſaias c. 21. Super ſpecula Domini ego ſum ſtans iugiter per diem, & ſuper cuſtodiam meam ego ſum ſtans totis noctibus. In his autem excubiis & prophetiæ munere obeūdo, quia non iidem ſemper erant, ſed per ætates ac ſæcula diſtributi Prophetæ, qui viciſſim peruigiles eſſent, & aliorum vigilia expleta, ſurgerent alij, ex hac item ſignificatione muneris per vices ſtatutas obeundi, rectè cuſtodia appellata eſt Prophetia. quia item Prophetæ populo cauebāt ne mali quippiam adueniens, ipſis dormientibus, & propterea non prædicentibus imprudentes opprimeret, hac quoque ratione cuſtodia iure appellata eſt eiuſmodi cautio & obſeruatio Prophetarū. Super hanc igitur cuſtodiam meam ſtabo, partes mearum excubiarum obſeruabo vigilanter, neque oculis meis ſomnum dabo, vt iis proſpiciam quorum ſaluti vt cauerem, ſpeculator & Propheta ſum à Deo conſtitutus. Rectè itaque trāſtulit & apertè Symmachus,

E Quaſi

Quaſi cuſtos ſuper ſpeculam ſtabo. & *figam gradum ſuper munitionem*) etiam munitionis vocabulum πολύσημον eſt, Lxx. petram dixerunt, Symmachus concluſum, Theodotio gyrum, Aquila & Quinta editio circinum. Sed quia cuſtodiam ſpeculandi munus accepimus, conſequenter muros qui cingunt ciuitatem, & eam vndique continent, munitionis vocabulo intellecturi ſumus, ſuper quibus cuſtodes ac vigiles diſponũtur. Vnde etiam apud Eſaiam ſcriptum legimus, Super muros tuos conſtitui cuſtodes. Nec longè abierunt ab hac ſententia Lxx. petram enim abruptum & editum locum intellexerunt, vnde ſpeculatores longiùs contemplari ſolent, vt Num. 23. De ſummis ſilicibus videbo illum, & de collibus conſiderabo illum. Nonnulli non murũ quo vrbs cingitur accipiunt, ſed munitionem qua vrbs obſidetur, aut obſidionem, quod videtur Symmacho placuiſſe, qui tranſtulit, Stabo velut incluſus, & qui gyrum, & qui circinum tranſtulit, eandem fere ſententiam ſequuntur. vt ſit ſenſus; Velut obſeſſus ſtabo neque ex hoc loco me mouebo tamquam ſi gyro & circino eſſem incluſus, quoad audiam quid mihi ad propoſitam quæſtionem reſpondeatur, vt illud ipſum quod audiero, iis reſpondeã qui ad me veniunt, & de eiuſmodi rebus cõqueruntur. & videtur illud idem Propheta facere quod vnus de legatis Romanis ad Antio-

chum

chum Syriæ regem fecit, qui illum tergiuerſantem virga circumſcripſit,&antequam de circulo illo exiret, reſponſum dare coegit. Aliqui munitionem ipſam illā quæſtionem interpretantur, qua tamquam vallo & munitione circumiecta obſidebatur Propheta, vt nulla ex parte pateret effugiū. Super hac igitur munitione figere ſe gradum, & ſtare dicit. aſſiduè à Deo ſolutionem eius ambiguitatis exſpectantem.

Et reſpondit mihi Dominus, & dixit, Scribe viſum, & explana eum ſuper tabulas, vt percurrat qui legerit eum.

Difficillimum ad locum peruentum eſt, & verborum ambiguitate lubricum,&multitudine expoſitionum falſarum ab Hebręis malignè obſcuratum. Conabimur tamen quid alij dixerint referre breuiter, adiicere etiam quid nobis ſuper eo videatur. Quia igitur Propheta propoſitæ quæſtioni, cur Deus impium Regem Nabucodonoſor ſecundis rebus attolli permitteret,& populum ſuum, qui longè minoribus delictis teneretur, ab eo affligi ſineret, diuino ſatisfieri oraculo poſcebat, nō vt ſuam curioſitatē paſceret, ſed vt arguentibus & conquerentibus de Dei prouidentia poſſet occurrere; Reſpondit illi Dominus, & dixit; *Scribe viſum*, diuinum videlicet oraculum, vt ſit etiam ad poſterorum hominum monimentum. Deinde vbi & quomodo deſcribendus ſit viſus, præcipit;

Explana, inquit, *eum ſuper tabulas*, vt nullas ambages, nihil obſcuritatis habeat. Explana ſuper tabulas, eæq; tabulæ non lapideæ ſint, in quibus olim deſcripta eſt lex, ſed vt LXX. tranſtulerunt, ἐπὶ πυξίου *in buxo*. ex buxo enim tabulæ fieri ſolebant in quibus ſcriberetur, nõ in charta, vt diutiùs quod ſcriptum fuerit ſeruetur. Cauſa quoque affertur quare manifeſtè ac plane ſcribi præcipiat, *Vt percurrat*, inquit, *qui legerit eũ*, ne in ipſo legendi curſu obſcuritate aliquà detineatur & inſiſtat, & ad Scripturam intelligendam intentiore ſtudio opus habeat, neue titubet & offendat, ſed inoffenſo pede ad finem vſque perueniat. Hoc idem aliis verbis Eſaiæ præ-

Eſaia 8. cepit; *Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtylo hominis, velociter ſpolia detrahe, citò prædare*. nam ſtylo hominis ſcribere, hoc eſt quod Abacuc dixit; *Et explana viſum ſuper tabulas, vt percurrat qui legerit eum*.) vt non docti ſolùm, verùm etiam indocti homines legere poſſint. Sed illud quæri poteſt, quid illud ſit quod ſcribi præcipitur. nam in Eſaia quidẽ apertum eſt quod ſcribitur, nempe pauca illa verba quamuis in grandi volumine, *velociter ſpolia detrahe, citò prædare*. hîc autẽ incertum eſt quod ſcribi iubeatur. nam ſi omnia ab illis verbis, *Quia adhuc viſus procul*, vſque ad orationem, ſcribere Abacuc iuſſum eſſe putabimus, illud obſtare huic opinioni videtur, quòd multa in his verbis ſic de Deo tanquam

quam de tertia quadam perſona dicta ſunt; vt illud, *Numquid nõ hæc ſunt à Domino exercituum?* & illud, *Replebitur terra vt cognoſcant gloriam Domini*, &; *Circumdabit te calix dexteræ Domini.* & in fine; *Dominus autem in templo ſancto ſuo, ſileat à facie eius omnis terra.* Quòd ſi non omnia hæc ſcribere iuſſus eſt, alia diſtinctio nulla eſt in his verbis, ex qua finis verborum Domini ſcribendorum poſſit accipi, & Prophetę ſermonis initium. omnia namque ſimul contexta connexaque videntur. Niſi fortè dixerimus omnia hęc verba Domini eſſe, & iuſſum eſſe Prophetæ vt vſque ad orationem omnia ſcribat. neque moueri nos debere, ſi de ſe tamquam de tertia perſona loquatur Deus, cùm ea prædicat quæ gentes & populi dicturi ſunt, quos Nabucodonoſor ſubegit ac vicit. *Omnes iſti*, inquit, *ſuper eum parabolam ſument, & loquelam ænigmatũ eius, & dicetur*, deinde omnia verba ſunt earum gentium & populorum, *Væ ei qui multiplicat*, & quæ ſequuntur. Illud etiã ambigi poteſt, vnde nam ea quæ ſcribenda ſunt initium ſumant. Nam ſi initium ſcribendorum eſſe putauerimus ex illis verbis, *Quia adhuc viſus procul*, cùm per hæc verba cauſa afferatur à Deo, cur ſcribere viſionem iubeat in tabulis, quia nempe viſio non ſtatim futura eſt, vt Theodoritus interpretatur, non poſſunt hæc verba non modò initium eſſe ſcribendorum, ſed ne inter ſcribenda

quidem recenſeri: nõ enim cauſa cur aliqua ſcribantur, eadem eſt cum iis quæ ſcribuntur. nam cauſa ſcribendi cùm affertur, non cum poſteris qui futuri ſunt, & ſcripta lecturi agitur, ſed cum Propheta antequam ſcribat; cui ratio redditur cur illum velit ſcribere viſionem. Quòd ſi non hinc initium eſt eorum quæ ſcribi præcipit, neſcio vbinã erit. Quamobrem cogimur dicere, in his verbis non cauſam afferri cur ſcribere viſum præcipiat, ſed hæc ipſa verba eſſe viſum illũ qui ſcribendus ſit, nempe, *Quia adhuc viſus procul*, & quæ ſequũtur. Hoc ipſum, inquit, ſcribe, quòd nondum tempus eſt vt viſus adueniat, & opere compleatur, ſed adhuc viſus procul, & ad tempus certum & conſtitutum differetur. Sic è contrario dixit Angelus Danieli cap. 8. Ego oſtendam tibi quæ futura ſunt in nouiſſimo maledictionis, quoniam habet tempus finem ſuum. Hoc eſt, oſtendo tibi hoc ipſum, habere nempe tẽpus finem ſuum, & rem ad exitum iam ſpectare. non enim intelligi poteſt ideo illi Angelũ oſtendere, quia iam ad exitum res peruenit, ſed illud ipſum medium tempus non diuturnum fore, vt quæ illi prædixit impleãtur. Aut fortè, illud, Quia, nõ cauſam indicat, ſed potiùs affirmationem, qualis eſſe iurantium ſolet, vt in Daniele prope finem 12. capitis. *Cùm iuraſſet*, inquit, *Angelus per viuentem in æternum, quia in tempus temporum & dimidium tempo-*

temporis. & Pſal. 41. *Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi.* Ait igitur tam certam eſſe viſionẽ, vt cùm adhuc ſit procul, vel, vt Lxx. dixerunt, in tempus, hoc eſt, cùm adhuc ſit in ſpatio illo tẽporis à Deo conſtituti ac deſignati, nec dum illud tempus exierit, ſtatim in ipſo temporis illius termino apparitio futura ſit, ita vt nihil temporis medium ſit futurum inter certum illud conſtitutumq́ue tempus & apparitionem. Poſtremò aduerbium, *Quia*, pro temporis aduerbio intelligi poteſt, vt ſit, Cùm adhuc viſio in tẽpus certum & ſtatum tendet, illico apparebit.

Et apparebit in finem & non mentietur.

Hæc verba cũ ſuperioribus connexa ſunt, atque connexionem probat particula, *&*, ex conſueta Scripturæ forma loquendi. nondũ, inquit, exactum erit ſtatum & condictũ viſionis implendæ tempus, cùm apparebit in finem. Sed quíſnam ille ſit qui apparebit, dictum non eſt, itaque ambigitur. B. Hieronymus, multi item Hebræorum Doctores putant viſum ipſum de quo dictum eſt, adhuc viſus procul, ipſum fore vt appareat in finẽ, & totam ſententiam ad viſum referri, apparebit viſus in finem, ſi moram fecerit viſus, expecta illum viſum, quia veniens veniet. Quin etiam reprehendit ille Lxx. qui in eadẽ ſententia genus mutauerint, & cùm priùs poſuiſſent ὅρασιν viſionem, feminco genere, poſtea ſubiunxerint maſculinum, expecta il-

lum, & ὅτι ἐρχόμενος ἥξει, veniens veniet. Quod mihi illi prudentiſſimè & diligentiſſime feciſſe videntur, cùm hæc verba noluerunt ad viſionem referre, nõ enim viſionem eſſe apparituram, neque viſionem eſſe expectandam, eamque eſſe veniendo venturam intellexerunt, ſed ipſum Deum; quæ cauſa fuit vt genus mutarent, quod etiam rectè ab illis factum Apoſtolus confirmat, qui de Deo hæc verba intelligit, laborãtibus adhuc ſuis fidelibus citò opem ſuã ferente & adiuuante; ſic namque in epiſtola ad Hebræos ait capite 10. *Adhuc modicum aliquantulumq́ qui venturus eſt veniet, & non tardabit.* Eſt enim in hoc loco admirabilis de Chriſto Prophetia, quo adueniente & Nabucodonoſor & aliorum tyrannorum populi Dei hoſtiũ ceſſatura erat iniquitas; & iterũ Iſraelitica gens conſeruãda in illis reliquiis, de quibus Eſaias dixit, *Reliquiæ ſaluæ fient, & conuertentur ad Deum fortem*, priſtinam illam libertatem, & regni decus repetitura, cùm Chriſtus Paternum regnum iam pænè collapſum reſtitueret atque reciperet. Etenim illa natio, poſteaquã à Nabucodonoſor capta eſt & euerſa, ſemper ſub alienigenis Regibus fuit. nam etſi à Cyro liberata eſt, tamẽ haud plenè ſuæ libertati reſtituta, cùm ne templum quidem ædificari cœptum abſoluere auderent, ſed per aliquot annos eius ædificationem Rege prohibente intermiſerint. Poſteà victis ab Alexan-

Alexandro Perſis ſub Græcorum imperium ceſſerunt,& poteſtati paruerunt. à Romanis poſtremò victi debellatiq́; ſunt donec Chriſtus aduenit.qui etſi nō illicò ab idola colentium Regum imperio reliquias illas Iſrael ſaluatas, & per illas Gentilium fidelium populos in truncum oleæ inſertos, & veros Iſraelitas factos, liberarit, tamen quia in ipſo, & ab ipſo Chriſto liberandi erant, & Reges fideles, & verum Deum colentes habituri, & ab idolatrarum iugo atque ſeruitute relaxandi, iuſtiſſimè à Propheta dicitur, eouſque expectandum donec qui vēturus eſt veniat. Nam etſi dici vèriſſimè poſſit à Chriſto ſpiritaliter liberatas eſſe reliquias illas Iſraeliticas, etiamſi adhuc idola colentibus Regibus ſubiecti eſſent, tamen vt etiam ad litterā hæc inChriſto impleta eſſe oſtendamus; dicimus tunc illos liberatos à Gentilium Regum opprimentiū tyrannide, de qua re ingens hucuſque populi querela facta eſt, cùm Chriſtus aduenit, quia tunc initium liberationis factum eſt, etiamſi perfecta liberatio nō Chriſto in terris agente, & cum hominibus verſante, ſed poſt aliquot annos facta eſt, cùm etiam ipſi Reges iugū Chriſti ſuaue & onus leue ſubierunt, in quibus Regibus iam Chriſtianis Chriſtus regnat, cùm illius legibus Reges obtemperent, & obtemperare populos cogāt. Illa autem iniquitas opprimētium Iſraelitas Regum, in illo Dei populo ab Na-

bucodonoſor habuit initium. Et quamuis ille poſt aliquot annos vita exceſſiſſet, tamen continuè aliis item idolatris Regibus ſuccedentibus vſque ad Chriſti aduentum tranſmiſſa eſt; nunc Chaldæis regibus, nunc Perſis ac Medis, nunc Græcis, nunc Romanis illum populum opprimentibus; neque principes ſuos illa natio, aut Reges in totum liberos habuit, ſed regnantium potẽtiæ ſubiectos. ita vt vnum quodammodo idolatriæ regnum fuerit, ſub quo ſubiecti gemebant. quod moleſtiſſimum Dei cultoribus præ ceteris erat, vnde conqueſtus ex eorum perſona Propheta eſt, cùm ſuperiùs dixit de Nabucodonoſor, *hæc eſt fortitudo Dei ſui*, & in ſequentibus, cùm in hoc impium imperium inuehitur, illud in eo præ ceteris denotat ac taxat, quòd idolis deditum eſſet, itaque illud tamquam in ſcæna deridens; *Quid prodeſt*, inquit, *ſculptile quia ſculpſit illud fictor ſuus?* &, *Væ qui dicit ligno expergiſcere: ſurge, lapidi tacenti.* Hoc igitur maximè angebat, quòd eiuſmodi impiis hominibus ac Regibus ſubdita eſſet gens Iſraelitarum, à quibus iniquè & inhumaniter tractaretur. quod quia nec mortuo Nabucodonoſor, neque Cyro rerũ potito, neque ſub Græcis Regibus, neq. ſub Romanorum imperio pati deſierunt, ſed Chriſto adueniente liberari cœperunt, ideo ad Chriſti aduentum prædicẽdum hæc Prophetæ viſiò pertinet. id enim hac viſione ſeu

pro-

prophetia,ſeu diuino oraculo agitur,vt querelis Iſraelitarum ſatisfiat, cur impius Rex Nabucodonoſor fecũdis rebus floreat, contraque Dei cultores Iſraëlitæ affligantur. cui querelæ reſpondetur,non id ſemper fore,ſed venturum tempus cùm illis malè futurũ ſit; fidelibus verò Dei ſeruis bene. quod aſſerimus nũmquã plenè factum,niſi poſteaquam Chriſtus Dominus noſter aduenit. Ac ne dicant Iudæi, falſum id eſſe quod aſſerimus, quia peius ipſi habuerint ex quo nomen Chriſtianum exortum eſt,definiendũ nobis eſt quinam ſint Iſraëlitæ. Vt enim non exciſos ramos oleam vocamus, ſed eos qui in radicem oleæ inſiti continuatam vnam oleæ arborem efficiunt: ſic non illos perfidos & abſciſos, & abiectos Iſraelitas eſſe dicimus, ſed eos qui & genere & fide cum radice congruebant, quos multos Eccleſia illa primordialis habuit; deinde illos qui horum opera ex gentibus ſi non genere, at certè fide in radicem inſerti ſunt,ita vt vna ex omnibus arbor coaleſceret, & vnum omnes Iſraelis nomen contineret; id enim quod vitam quodammodo oleæ participat, oleam vocamus, non quod abiectum & exciſum, vitæ & pinguedinis oliuæ factum eſt expers. quomodo etiam in Eccleſiam Domini, vt eſt in Deuteronomio, Gentiles aliqui ſaltem poſt tertiam generationem intrabant,& accedentes ſeu admiſſos vetus ille populus vocabat, ita

vt

vt vnus populus ex omnibus componeretur. Ad eundem modum quos Chriſtus, quos Apoſtoli, quos primi illi ex vera illa Iſraëlis radicę ſemel adoptauerunt, & pro fratribus & concorporalibus, vt beati Pauli verbo dę eadē hac re loquentis vtar, habuerūt, eos verè Iſraelitas eſſe nemo neget. Quod, inquit, aliis generationibus non eſt agnitū filiis hominum, ſicuti nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis & Prophetis in ſpiritu, gentes eſſe cohæredes, & concorporales, & conparticipes promiſſionis eius per Euangelium. Sunt igitur Chriſtiani verè Iſraëlitæ, & in eis impletæ ſunt promiſſiones, & hæc vna inter ceteras quæ hoc loco promittitur, fore vt ab impiorum tyrannide & dominatu Iſraelitæ liberentur, impiis perditis & extinctis. Itaq; de Chriſto hæc prophetia eſt omnino, quod cùm Lxx. diuino ſpiritu præſagirēt, ſic hanc ſuam tranſlationem temperauerunt, vt cùm de viſione dixiſſent, *Quia adhuc viſio in tempus*, vt apertiùs dicerent, & Chriſti aduētum clariùs exponerent, genus mutarunt in reliquis, & à viſione ad Dei verbi perſonam quę erat ventura, tranſierunt. *Et apparebit in finem & non in vacuum; ſi moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet.* quæ omnia de Dei Filio & Verbo Deo accipiēda ſunt. quòd ſi L x x. in hac mutatione generis reprehenduntur, ſimul etiam Hebræorum doctores reprehendentur, quos non hæc mutationis

opinio

opinio deterruit, quo minus à viſione prius dicta, ad perſonam Ieremiæ tranſirēt, de cuius perſona hoc dici putarunt, apparebit in finem; ſeu vt ipſi aiunt, loquetur in finem, quaſi de fine nihil dictum ſit ipſi Abacuc, ſed expectandus ſit Ieremias, qui quod Abacuc prætermiſerit ſuppleat, vt de fine captiuitatis Babylonicæ dicat, eum finem poſt LXX. annos futurum, & ſimul regnum Chaldæorum terminum habiturum. Si ergo hos Rabbinos non deterruit hæc mutatio, & à viſione ad perſonam Ieremiæ tranſitio, cur LXX. in tanto oraculo, generis eiuſdem conſtantia tanti facienda fuit, qui ſi genus ſeruare vellent, tantum de Chriſto oraculum obſcurarent? Rem igitur & retinere & aperire voluerunt, de generibus nominum parum curarunt. quod non modò non reprehendēdum eſt in interprete, ſed etiam ſummopere laudandum, in grauibus præſertim rebus ac difficilibus; in quibus non tàm verborum concinnitas, quàm ſententiæ cognitio quæritur. Iam verò aperiendum eſt conſilium LXX. interpretum, & cur hanc prophetiam de Deo venturo intellexerint euoluendum. Igitur illi vt in multis aliis locis, aliter ſcriptis Hebræis codicibus quàm hodie circumferũtur, vſi ſunt, vnde multum illorũ tranſlationem à noſtra vulgata Latina, & ab Hebræorum lectione diſtare non mirum eſt, & hoc item loco non legerunt יפח, ſed verbum ſimile

quod

quod ad prolationẽ attinet in ſuis libris Hebraicis habuerunt יָפִיעַ, quod ſignificat ἀνατελεῖ, orietur, apparebit tãquam ſidus quoddam. Non ſolet autem hoc verbum oriendi in ſacris litteris de alia re dici niſi de lumine, aut ſydere, aut de Deo. ideoq; cùm viderent illi non de viſione ſolere hoc verbum dici, ſed de Deo, tamquam de lumine quodã aduenien te, genus mutarunt, vt de Deo, non de viſione Prophetam hæc verba dixiſſe ſignificarent, Deum ſcilicet eſſe venturum, & tamquam ſidus quoddam appariturũ, quod harum querelarũ & moleſtiarum caliginem ſuo fulgore diſcuteret. Hoc autem quod diximus ſic de Deo tamquam de ſidere & lumine hoc verbum eſſe dictum à Lxx. etiam Euſebius intellexit, libro de Demonſtratione Euãgelica ſexto: vnde etiam ἀνατολὴ, hoc eſt, oriens, vocatus eſt, nõ in nouo teſtamen-
Zacch.6. to ſolùm à Zaccharia Ioannis Baptiſtæ parente, cùm dixit, Illuminauit nos oriens ex alto, verùm etiã à Zaccharia Propheta, *Ecce vir, oriens nomen eius*. Eſſe autem verũ quod diximus de ſidere & lumine, aut de Deo tanquam de lumine dici in Scripturis verbum Hebræum יָפִיעַ, multa ſunt loca quæ probent, ſed duo commemorare ſatis erit, quorum vnum eſt in Pſalmo 49. *Deus manifeſtè veniet*, alterum Pſalmo 79. *Qui ſedes ſuper Cherubim, appare coram Ephraim*. Hęc vna ratio eſt cur Lxx. de Deo, & de Dei aduentu,
quàm

quàm de viſione maluerint intelligere, quia verbum apparendi in Scripturis de Deo dici ſolet. Secunda ratio eſt eaque præcipua, quia cùm in cantico ſuo quod ſequitur, gratias agat iis de rebus quæ illi à Deo fuerant reuelatæ, cumque ibi in ipſo ſtatim Cantici initio dixerit, *Cùm appropinquauerint anni cognoſceris, cùm aderit tempus oſtenderis*, putarũt, & verè ac rectè, ea verba ad hanc prophetiæ viſionisq; partem ſpectare vbi dicitur, *Quia adhuc viſio in tempus, & apparebit in finem, & non in vacuum.* Et certè verba vtraque multum inter ſe congruunt. quòd ſi in Cantico hæc verba de Deo dicũtur, proculdubiò certum eſt etiam hæc quæ in reuelationis viſione poſita ſunt ad Deum pertinere. is enim qui cùm appropinquauerint anni, cognoſcetur, cùm aderit tempus oſtẽdetur, is inquam ipſe ille eſt, qui cùm adhuc viſio erit in tempus, apparebit in finem, & non in vacuum: Is etiam de quo in Cantico tamquam de ſole quodã & lucido ſidere dicitur, *Deus ab Auſtro veniet, & Sanctus de monte vmbroſo & condenſo, operuit cælos maieſtas eius, & laudis eius plena eſt terra, ſplendor eius vt lux erit*; de quo ſimiliter Moyſes in Deuteronomio dixerat, *Dominus ex Sina venit, & apparuit ex Seir nobis, & properauit de monte Pharan.* in quo loco item ſic de Deo Moyſes quaſi de ſole aut ſidere quodam oriente loquitur. Ergo ad Deum hæc verba referre maluerunt,

vt

vt apertiorem prophetiam clarioremq́; redderent. Vnde aptiſſimè hunc locum Eccleſia in aduentu Domini decantat, *Ecce apparebit Dominus, & non mentietur*, & quæ ſequũtur; vt ipſa quoque Eccleſiæ auctoritas cõfirmaſſe Lxx. interpretum ſententiam videatur.

Si moram fecerit, expecta eum; quia veniens veniet & non tardabit.

Hæc fortaſſe tertia cauſa fuit quæ Lxx. interpretes mouit vt genus mutarent, & hæc de Deo acciperent, non de viſione. nam verbum Hebræum יתמהמה quod trãſlatum eſt; ſi moram fecerit, eiuſmodi morã ſignificat, quàm non alius, ſed ſibi ille ipſe qui moratur facit. viſio autem ſibi ipſi moram facere non poteſt. ideoq́; conuenienter de Deo intellexerunt, ſi moram ſibi fecerit, & aduentum ſuum auxiliumq́; diſtulerit, expecta eum; ne ſpem abiicias, ſed ſpera vtique venturum; veniet enim certè, & non tardabit, hoc eſt, vltra condictum illud ſtatumq́; tempus non differet aduentum. Hac igitur aduentus ſui pollicitatione mærorem leuauit, querelaſq́; ſedauit eorum qui gentem illam Iſraelis totam hoſti obiectam impio, & à Dei veri cultu alieno per omne tempus ſuſpicabantur, ſpondetque non id perpetuum fore, ſed aliquandò tandem Deum tamquam lucidum ſidus apparitũm, neque vltra deſtinatum tempus tardaturum; ſuſtinerent modò, & liberatorem ac ſaluatorem expectarent. Hebræi

bræi quæ hoc loco ſomniant, longum eſſet exponere, & lectorem conturbaret, tanta eſt inter ipſos quoque opinionum ſententiarúmque varietas. ideoque ſatius eſt ea relinquere, & proprio operi deſtinare, in quo peruerſitas eorum ſententiæ coarguetur à nobis, ſi Dei auxilium, vt ſpero, aderit.

Ecce qui incredulus eſt non erit recta anima eius in ſemetipſo: iuſtus autem in fide ſua viuet. Et quomodo vinũ potantem decipit, ſic erit vir ſuperbus, & non decorabitur.

Beatus Hieronymus in ſuis Commentariis ſic hunc locũ exponit, vt legiſſe ac tranſtuliſſe videatur, *non erit recta anima mea in ipſo.* in quo à Lxx. non diſſentit, qui dixerũt, *non placebit animæ meæ.* Si quis, inquit, incredulus eſt huius ſponſionis meæ, & me dicẽte veniens veniet, & non tardabit, cœperit ambigere, & in ſe tacitus fluctuare, putans non eſſe venturum quod moratur ad tempus, hic meæ animæ diſplicebit. Sicut autem diſplicebit ille qui me promittente dubitauerit venturum eſſe quod ſpondeo, ita iuſtus qui crediderit promiſſioni meę viuet in fide ſua. Eandem expoſitionem affert Theodoritus. Hebræi vt in ſuperioribus verbis, ſic in his quoq. in obſcuritate magna verſantur. ideoque ipſi inter ſe diſſentiunt, & varias exponendi rationes comminiſcuntur. Sed hos errore labi minimè mirum eſt, noſtros miror, qui in intelligẽdis Scripturis ſacris in obſcu-

ris præcipuè locis hos duces ſequuntur, cùm illi ne voces quidē ſuas ſatis intelligant, non modò Scripturæ ſacræ ſententiam. Quidam ergo ex illis ſic interpretantur, Ecce auida eſt & cupida, & non eſt recta anima eius in ipſo: quod ſic intelligunt tamquam de Nabucodonoſor dictum ſit, Anima, inquit, Nabucodonoſor cupiditate feruet, neque eum ſatietas capit, neque eſt recta in ipſo, numquā deferueſcit eius auiditas, vt tandem putet ſatis eſſe quod adeptus eſt. At verò Iechoniam quem ille tranſtulit Babylonem, ſua iuſtitia & fides eriget, adeò vt Euilmerodach filius Nabucodonoſor leuaturus ſit caput eius, & ſuper alios Reges exaltaturus. Alij ſic explicant hunc locum, Cuiuſcumque anima non eſt recta in Deo, neque illi credit, extollitur & eleuatur, cuiuſmodi erat anima Nabucodonoſor, qui adeò elatus erat, vt malum non pertimeſceret. at verò iuſtus quia humilis eſt, & animus eius Dei timore flectitur, ideo in fide ſua viuet, & à malis quæ ſuper impiū venient eruetur. Hoc autem dici volunt de N[illegible]donoſor & eius nepote Baltaſar ſu-[illegible]ſido, qui quod diuinis oraculis [illegible]et elatus, & in ſuperbiam erectus [illegible] Medis occiſus eſt, & de Iſraelitis [illegible], qui cùm Deo crederent, in fide ſua [illegible] ſunt à gladio Perſarum & Medorum, [illegible]ptiuitate Babylonica liberati. Tertia [illegible] apud eos inuenitur, eiuſ-

modi; Quiſquis prudentiæ ſuæ confidit, ſuiſque cogitationibus fretus eſt, eius anima aſſiduè caligabit, & in obſcuro verſabitur, neque in ipſo recta erit, nunquam certus ac ſecurus, ſed perpetuò dubius, & in confuſione perturbationeq; animi viuet. At verò iuſtus homo, qui Dei opera iuſta eſſe credit, neque peruerſi aliquid in eis eſſe, is in fide hac ſua viuet, & ab omnibus ambiguitatibus erit liber. In quibus verbis eos notari dicunt, in quorum perſona Habacuc queſtus eſt, qui cum Deo diſceptare audebant rationibus ex humana prudētia depromtis, cur impio bene eſſe pateretur; & iuſtos ab eo vexari permitteret. Iam aliorum ſententiis recitatis LXX. interpretatio profetenda eſt, & quid nobis de hoc loco videatur aperiendum. *Si ſubtraxerit ſe, non complacebit animæ meæ in eo. iuſtus autem ex fide mea viuet. Qui autem arrogans eſt & contemtor, vir ſuperbus nihil proficiet.* Sed verba Græca apponenda ſunt, vt melius aduerti poſſit quod à nobis dicetur. *ἐὰν ὑποστείληται οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ· ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεώς μου ζήσεται· ὁ δὲ κατοιόμενος καὶ καταφρονητὴς, ἀνὴρ ἀλαζὼν, οὐθὲν μὴ περάνῃ.* Primum horum verborum connexionē attendere neceſſe eſt, quam neminem legi qui attēderit, quæ duobus illis verbulis tamquam vinculis colligata eſt, *ἐὰν*, & *ὁ δὲ*, in quibus vis quædam ineſt à minori ad maius argumenti, vt dicamus exempli gra-

tia,ſi qui occultè peccat,is puniẽdus eſt;quid dicam de eo qui per ſuperbiam & contemtum delinquit? Solent enim Sacræ litteræ Hebraica lingua his duabus dictionibus vti, cùm quid extollere volunt הִנֵּה quod eſt ἐὰν, ſi, & אַף כִּי quanto magis. quæ ambæ in his verbis Habacuc poſitæ ſunt. Sic in Iob c. 15. *Si cælum non eſt mundum in conſpectu eius, quanto magis abominabilis homo?* & cap. 25. *Ecce etiam luna non ſplendet, & ſtella non ſunt mundæ in conſpectu eius; quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis?* Hoc igitur primùm eſt aduertendum, argumento vti Scripturam à minori ad maius. *Ecce*, vel, *ſi ſubtraxerit ſe nõ placebit animæ meæ, iuſtus autem ex fide viuet; qui autem arrogans eſt*, ac ſi dixiſſet,quanto magis qui arrogans eſt. Græci autẽ enarratores hoc nexu orationis prætermiſſo,initium eſſe putant nouæ orationis ex hoc loco, *Qui autem arrogans eſt & contemtor.* itaque Theodoritus ait, Superbiam, inquit, Nabucodonoſor ex hoc loco, & cupiditatem inſatiabilẽ exponit. Deinde examinanda ſunt verba diligenter, ac priùs quid ſit ὑποςείληται, quod in epiſtola ad Hebræos Latinus interpres dixit, *ſi ſubtraxerit ſe.* Beatus Hieronymus ex Hebræo, *qui incredulus eſt.* Hebręi ipſi, *ſi ſuperbierit*, aut auidus & cupidus fuerit, aut caligauerit. Quid autẽ hoc verbo ſignificare voluerint LXX. quo modo meliùs, quàm ex aliis locis intelligimus, in

quibus clariùs hoc verbũ eſt poſitum? Igitur in Haggæi prophetia c. 1. verbo hoc vſi ſunt in ſignificatione cõtinendi, ſeu retinendi, ſeu cohibẽdi. διὰ τοῦτο ἀνέξει ὁ οὐρανὸς ἀπὸ δρόσου, καὶ ἡ γῆ ὑποστελεῖται τὰ ἐκφόρια αὐτῆς. *Propter hoc retinebit cælũ ſe à rore, et terra cohibebit fructus ſuos.* itẽ in Deut. c. 1. οὐ μὴ ὑποστείλῃς πρόσωπον ἀνθρώπου, ὅτι κρίσις τοῦ θεοῦ ἐστί. *Non vereberis faciem hominis, quia iuditiũ Dei eſt.* Et Exo. 23. de Angelo præcurſore. οὐ γὰρ μὴ ὑποστείληταί σε. *non enim verebitur te.* Ergo verbũ hoc de eo dicitur, qui ſubducit ſe & ſubtrahit ab aliqua re facienda, vel formidine aliqua, vel verecundia commotus. Eodem verbo vſus eſt Apoſtolus in Actis. οὐ γὰρ ὑπεστειλάμην τοῦ μὴ ἀναγγεῖλαι ὑμῖν πᾶσαν τὴν βουλὴν τοῦ θεοῦ. *non enim ſubterfugi quo minus annunciarẽ vobis omne conſilium Dei.* Alterum deinde verbum expendendum eſt, quid ſit ὁ δὲ κατοιόμενος. B. Hieronymus τὸν κατοιόμενον dixit eſſe eum qui eſſe ſe aliquid credit. Theodoritus, ὁ οἰήσει χρώμενος, inflatus ſui exiſtimatione. B. Cyprianus ad Cornelium, præſumtuoſus, quod idem ferè eſt. omnes hi ſancti doctique viri ſic legerunt in Græco, ὁ δὲ κατοιόμενος, quos vt veneror, & minimè reprehendendos puto, ſic quid ego de hac voce ſentiam, oro vt veniam dent, & ſi quid diuerſum dixero, indulgeant. Puto enim Lxx. tranſtuliſſe ex Hebræo non, ὁ δὲ κατοιόμενος, ſed ὁ δὲ κατοινωμένος, vel κατῳνωμένος quod ebrium

ſignificat, & eo verbo vtitur Plato in libris de Legibus, & Hebrææ lectioni magis cõuenit, & facilis mutatio fuit à κατωνωμένος, vel κατοινωμένος in κατοιόμενος. præſertim cùm hæc vox κατοιόμενος inſolita ſit, neq; alibi vſquã aut apud profanos, aut apud Eccleſiaſticos auctores reperiatur. His declaratis atq. compoſitis, hunc puto eſſe verborum ſenſum. Querelis Iſraelitarum expoſtulantium cur Nabucodonoſor impio feliciter omnia ſuccederent, reſpondet Deus, & argumento quodam à minori ducto vtitur: Si in illo, inquit, qui clam aliquid facit, & quaſi pertimeſcens ne deprehendatur, aut contra refugit aliquid facere, & ſubtrahit ſe metu aliquo, aut verecũdia, aut alia formidine commotus, in eo non complacet ſibi anima mea, ſed ille viuit, & mihi gratus eſt, qui fide munitus ac tutus, neque aliquid faciendum metu aliquo aut verecundia detrectat, neque quod vitandum eſt, clàm quodammodo & latenter facit (vtrumque enim verbum ὑποϛείλαϑζ comprehendit) quanto magis Nabucodonoſor ebrius & ſuperbus, qui nõ formidine aut pudore deſerit officium, ſed ſuperbia & arrogantia elatus; & neque Deum, neq; homines veritus in omnia ſcelera ruit, mihi gratus eſſe aut anima mea in eo ſibi cõplacere non poteſt? neque, quamuis omnia moliatur, quidquam proficiet, & quod vtile & in rem ſuam ſit abſoluet? Cur de me tan-

tam iniquitatẽ ſuſpicamini, quaſi ſceleſtiſſimo homini faueam, ſuperbè & inſolenter ſeſe gerenti, & Deũ homineſq; contemnenti? Ebrium verò vocauit, ſeu quia reuera vino deditus erat, ſeu vt eius ſuperbiam tamquam in imagine ebrij melius oſtenderet. vt enim ebrius præceps agitur, & temere in diſcrimen ruit; ſic ſuperbus nihil metuẽs etiam in ſumma pericula ſe coniicit ſibi præfidens, & omnes alios præ ſe contemnens. hanc igitur ſtultam & incõſideratam eius audaciam vt ſignificaret, ebrium vocauit. Contemtor autem vocatur qui omnia iura violat, nihil ſancti habet, neque fœdera apud eũ, neque promiſſa quidquam valent. Illud verò quod LXX. dixerunt, οὐθὲν μὴ περάνῃ, & nos expoſuimus, nullum operæpretium faciet, nihil quod in rem ſit abſoluet, nihil proficiet, beatus Hieronymus dixit, *non decorabitur*. nam ex magnis illis laboribus, bellis, expeditionibus, prœliis, neque decus aliquod aſſecutus eſt, cùm turpiſſimè tamquam bellua ex hominum conſortio eiectus ſit, neque vtilitatem ſibi parauit. congeſſit enim deuictarum gentium ſpolia quibus Perſæ Mediique diteſcerent. Itaque bene & proximè ad LXX. ſenſum Symmachus, οὐκ εὐπορήσει, hoc eſt, in rerum omnium erit penuria. Quod autem οὐθὲν μὴ περάνῃ diximus ſignificare, nihil ſibi proderit, id ex LXX. conſuetudine diximus qui primo Regum cap. 12. Verba Samuelis

idola contemnentis, eo quòd nihil proſint ſuis cultoribus, ſic tranſtulerunt: οἳ ὠ περανοῦσιν, οὐδὲν, qui nullam cuiquam vtilitatem afferent. Sed quia vulgata noſtra editio, & Hebræi codices omnes habent, non erit recta anima ejus in ipſo, ſeu in ſemetipſo, ne id quidem non expoſitum relinquendum eſt. Qui incredulus eſt, inquit, & incerto animo fluctuat, & diuinis promiſſis fidem adhibere detrectat, *eius anima nō erit recta in ſemetipſo*, hoc eſt, in anxietate ac mœrore verſabitur, & vitæ ipſius tædio laborabit, nihil habebit in quo acquieſcendum putet. dictū eſt enim contra infideles Iſraëlitas de diuinis oraculis deſperantes, & præſentium malorum ſenſu ſpem omnem melioris ſtatus abiicientes. At verò iuſtus vir in fide ſua quam ipſe habet, ſeu mea, vt in LXX. legimus, quam in me habet, diuinis reſponſis credens, & præſentes calamitates fide ac ſpe diuinarum pollicitationum compenſans, viuet non perpetua illa vita tantummodo, ſed etiam præſenti: lætus enim & hilaris erit, ſi non præſentiū bonorum fructu, quia malis premitur, at certè fide & expectatione futurorum. quòd ſi argumentum illud à minori ad maius in hac quoque B. Hieronymi editione lector deſideret, etiam ſic accommodari poteſt. Si quis puſillo animo cùm ſit ac detrectet diuinis oraculis credere, eius animus numquam lætus erit, ſed ſemper in mærore verſabitur,

Quanto

Quanto magis Nabucodonoſor, qui nõ puſilli animi vitio detrectat fidem, ſed ex tumore atque ſuperbia audacter & temerè in omnia crimina ruit, nihil inde ſibi commodi pariet? Illud poſtremò adiiciendũ his quæ dicta ſunt puto, vnde nam Lxx. verbum עפל trãſtulerint ὑποστείλασθαι, hoc eſt ſubterfugere, detrectare, vt dictum eſt, præ timore aut pudore aliquid facere? nam hanc ſignificationem in Hebræo verbo עפל Hebræi non agnoſcunt. Sed multa ſunt in quibus illi caligant, non hoc ſolum verbum, quod omnibus eſſe teſtatum volo, ne ſe Hebræorũ doctorum auctoritate & anticipata exiſtimatione quaſi in ſua lingua illi peritiſſimi ſint, ſe tranſuerſos agi, & in errorem adduci ſinãt, quaſi non modò in ſenſibus intelligẽdis, verùm etiam in ſingulorum verborum ſignificationibus aperiendis verius nihil dici poſſit quàm quod Hebrei dixerint. Ergo eo ſenſu puto Lxx. trãſtuliſſe, quomodo hoc idem Hebræum verbum, עפל in libro quarto Regum cap. 5. poſitum eſt, vbi de Giezi, poſt pecuniam à Naaman iniuſſu Eliſæi acceptam, ſermo eſt. *Cùm veniſſet*, inquit, *iâm veſperi tulit de manu eorum* (qui portauerant nempe) *& repoſuit in domo*. quem locum ſic verterũt Lxx: Καὶ ἦλθεν εἰς τὸ σκοτεινὸν, hoc eſt, vt puto latenter, clam, quia factum reſciri ab Eliſæo metuebat, curauit vt in tenebris & clam rediret, quaſi ille rem non eſſet animaduer-

quod ad prolationẽ attinet in ſuis libris Hebraicis habuerunt יפיח, quod ſignificat ἀνατέλει, orietur, apparebit tãquam ſidus quoddam. Non ſolet autem hoc verbum oriendi in ſacris litteris de alia re dici niſi de lumine, aut ſydere, aut de Deo. ideoq; cùm viderent illi non de viſione ſolere hoc verbum dici, ſed de Deo, tamquam de lumine quodã adueniente, genus mutarunt, vt de Deo, non de viſione Prophetam hæc verba dixiſſe ſignificarent, Deum ſcilicet eſſe venturum, & tamquam ſidus quoddam appariturũ, quod harum querelarũ & moleſtiarum caliginem ſuo fulgore diſcuteret. Hoc autem quod diximus ſic de Deo tamquam de ſidere & lumine hoc verbum eſſe dictum à Lxx. etiam Euſebius intellexit, libro de Demonſtratione Euãgelica ſexto: vnde etiam ἀνατολὴ, hoc eſt, oriens, vocatus eſt, nõ in nouo teſtamen-
Zacch.6. to ſolùm à Zaccharia Ioannis Baptiſtæ parente, cùm dixit, Illuminauit nos oriens ex alto, verùm etiã à Zaccharia Propheta, *Ecce vir, oriens nomen eius*. Eſſe autem verũ quod diximus de ſidere & lumine, aut de Deo tanquam de lumine dici in Scripturis verbum Hebræum יפיח, multa ſunt loca quæ probent, ſed duo commemorare ſatis erit, quorum vnum eſt in Pſalmo 49. *Deus manifeſtè veniet*, alterum Pſalmo 79. *Qui ſedes ſuper Cherubim, appare coram Ephraim*. Hęc vna ratio eſt cur Lxx. de Deo, & de Dei aduentu,

quàm

quàm de viſione maluerint intelligere, quia verbum apparendi in Scripturis de Deo dici ſolet. Secunda ratio eſt eaque præcipua, quia cùm in cantico ſuo quod ſequitur, gratias agat iis de rebus quæ illi à Deo fuerant reuelatæ, cumque ibi in ipſo ſtatim Cantici initio dixerit, *Cùm appropinquauerint anni cognoſceris, cùm aderit tempus oſtenderis*, putarũt, & verè ac rectè, ea verba ad hanc prophetiæ viſionisq; partem ſpectare vbi dicitur, *Quia adhuc viſio in tempus, & apparebit in finem, & non in vacuum*. Et certè verba vtraque multum inter ſe congruunt. quòd ſi in Cantico hæc verba de Deo dicũtur, proculdubiò certum eſt etiam hæc quæ in reuelationis viſione poſita ſunt ad Deum pertinere. is enim qui cùm appropinquauerint anni, cognoſcetur, cùm aderit tempus oſtẽdetur, is inquam ipſe ille eſt, qui cùm adhuc viſio erit in tempus, apparebit in finem, & non in vacuum: Is etiam de quo in Cantico tamquam de ſole quodã & lucido ſidere dicitur, *Deus ab Auſtro veniet, & Sanctus de monte vmbroſo & condenſo, operuit cælos maieſtas eius, & laudis eius plena eſt terra, ſplendor eius vt lux erit*; de quo ſimiliter Moyſes in Deuteronomio dixerat, *Dominus ex Sina venit, & apparuit ex Seir nobis, & properauit de monte Pharan*. in quo loco item ſic de Deo Moyſes quaſi de ſole aut ſidere quodam oriente loquitur. Ergo ad Deum hæc verba referre maluerunt,

vt

vt apertiorem prophetiam clarioremq́; red-
derent. Vnde aptiſſimè hunc locum Eccleſia
in aduentu Domini decantat, *Ecce apparebit
Dominus, & non mentietur*, & quæ ſequũtur;
vt ipſa quoque Eccleſiæ auctoritas cõfirmaſ-
ſe Lxx. interpretum ſententiam videatur.

*Si moram fecerit, expecta eum; quia veniens
veniet & non tardabit.*

Hæc fortaſſe tertia cauſa fuit quæ Lxx. in-
terpretes mouit vt genus mutarent, & hæc
de Deo acciperent, non de viſione. nam ver-
bum Hebræum יתמהמה quod trãſlatum eſt;
ſi moram fecerit, eiuſmodi morã ſignificat,
quàm non alius, ſed ſibi ille ipſe qui moratur
facit. viſio autem ſibi ipſi moram facere non
poteſt. ideoq́; conuenienter de Deo intelle-
xerunt, ſi moram ſibi fecerit, & aduentum
ſuum auxiliumq́; diſtulerit, expecta eum; ne
ſpem abiicias, ſed ſpera vtique venturum;
veniet enim certè, & non tardabit, hoc eſt;
vltra condictum illud ſtatumq́; tempus non
differet aduentum. Hac igitur aduentus ſui
pollicitatione mærorem leuauit, querelaſq́;
ſedauit eorum qui gentem illam Iſraelis to-
tam hoſti obiectam impio, & à Dei veri cul-
tu alieno per omne tempus ſuſpicabantur,
ſpondetque non id perpetuum fore, ſed ali-
quando tandem Deum tamquam lucidum
ſidus appariturum, neque vltra deſtinatum
tempus tardaturum; ſuſtinerent modò, & li-
beratorem ac ſaluatorem expectarent. He-
bræi

bræi quæ hoc loco ſomniant, longum eſſet exponere, & lectorem conturbaret, tanta eſt inter ipſos quoque opinionum ſententiarumque varietas. ideoque ſatius eſt ea relinquere, & proprio operi deſtinare, in quo peruerſitas eorum ſententiæ coarguetur à nobis, ſi Dei auxilium, vt ſpero, aderit.

Ecce qui incredulus eſt non erit recta anima eius in ſemetipſo: iuſtus autem in fide ſua viuet. Et quomodo vinũ potantem decipit, ſic erit vir ſuperbus, & non decorabitur.

Beatus Hieronymus in ſuis Commentariis ſic hunc locũ exponit, vt legiſſe ac tranſtuliſſe videatur, *non erit recta anima mea in ipſo.* in quo à LXX. non diſſentit, qui dixerũt, *non placebit animæ meæ.* Si quis, inquit, incredulus eſt huius ſponſionis meæ, & me dicẽte veniens veniet, & non tardabit, cœperit ambigere; & in ſe tacitus fluctuare, putans non eſſe venturum quod moratur ad tempus, hic meæ animæ diſplicebit. Sicut autem diſplicebit ille qui me promittente dubitauerit venturum eſſe quod ſpondeo, ita iuſtus qui crediderit promiſſioni meę viuet in fide ſua. Eandem expoſitionem affert Theodoritus. Hebræi vt in ſuperioribus verbis, ſic in his quoq. in obſcuritate magna verſantur. ideoque ipſi inter ſe diſſentiunt, & varias exponendi rationes comminiſcuntur. Sed hos errore labi minimè mirum eſt, noſtros miror, qui in intelligẽdis Scripturis ſacris in obſcu-

ris præcipuè locis hos duces ſequuntur, cùm illi ne voces quidē ſuas ſatis intelligant, non modò Scripturæ ſacræ ſententiam. Quidam ergo ex illis ſic interpretantur, Ecce auida eſt & cupida, & non eſt recta anima eius in ipſo, quod ſic intelligunt tamquam de Nabucodonoſor dictum ſit, Anima, inquit, Nabucodonoſor cupiditate feruet, neque eum ſatietas capit, neque eſt recta in ipſo, numquā deferueſcit eius auiditas, vt tandem putet ſatis eſſe quod adeptus eſt. At verò Iechoniam quem ille tranſtulit Babylonem, ſua iuſtitia & fides eriget, adeò vt Euilmerodach filius Nabucodonoſor leuaturus ſit caput eius, & ſuper alios Reges exaltaturus. Alij ſic explicant hunc locum, Cuiuſcumque anima non eſt recta in Deo, neque illi credit, extollitur, & eleuatur, cuiuſmodi erat anima Nabucodonoſor, qui adeò elatus erat, vt malum non pertimeſceret. at verò iuſtus quia humilis eſt, & animus eius Dei timore flectitur, ideo in fide ſua viuet, & à malis quæ ſuper impiū venient eruetur. Hoc autem dici volunt de Nabucodonoſor & eius nepote Baltaſar ſuperbo & perfido, qui quod diuinis oraculis non crederet elatus, & in ſuperbiam erectus à Perſis & Medis occiſus eſt, & de Iſraelitis captiuis, qui cùm Deo crederent, in fide ſua ſeruati ſunt à gladio Perſarum & Medorum, & à captiuitate Babylonica liberati. Tertia quoque ratio exponendi apud eos inuenitur

eiuſ-

modi; Quiſquis prudentiæ ſuæ confidit, ſuiſque cogitationibus fretus eſt, eius anima aſſiduè caligabit, & in obſcuro verſabitur, neque in ipſo recta erit, nunquam certus ac ſecurus, ſed perpetuò dubius, & in confuſione perturbationeq; animi viuet. At verò iuſtus homo, qui Dei opera iuſta eſſe credit, neque peruerſi aliquid in eis eſſe, is in fide hac ſua viuet, & ab omnibus ambiguitatibus erit liber. In quibus verbis eos notari dicunt, in quorum perſona Habacuc queſtus eſt, qui cum Deo diſceptare audebant rationibus ex humana prudẽtia depromtis, cur impio bene eſſe pateretur; & iuſtos ab eo vexari permitteret. Iam aliorum ſententiis recitatis LXX. interpretatio profetenda eſt, & quid nobis de hoc loco videatur aperiendum. *Si ſubtraxerit ſe, non complacebit animæ meæ in eo. iuſtus autem ex fide mea viuet. Qui autem arrogans eſt & contemtor, vir ſuperbus nihil proficiet.* Sed verba Græca apponenda ſunt, vt melius aduerti poſſit quod à nobis dicetur. ἐὰν ὑποςείληται οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ· ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίςεώς μου ζήσεται· ὁ δὲ κατοιόμενος καὶ καταφρονητὴς, ἀνὴρ ἀλαζὼν, οὐθὲν μὴ περάνῃ. Primùm horum verborum connexionẽ attendere neceſſe eſt, quam neminem legi qui attẽderit; quæ duobus illis verbulis tamquam vinculis colligata eſt, ἐὰν, & ὁ δὲ, in quibus vis quædam ineſt à minori ad maius argumenti: vt dicamus exempli gra-

tia, ſi qui occultè peccat, is puniẽdus eſt; quid dicam de eo qui per ſuperbiam & contemtum delinquit? Solent enim Sacræ litteræ Hebraica lingua his duabus dictionibus vti, cùm quid extollere volunt הִנֵּה quod eſt ἐὰν, ſi, & אַף כִּי quanto magis. quæ ambæ in his verbis Habacuc poſitæ ſunt. Sic in Iob c. 15. *Si cælum non eſt mundum in conſpectu eius, quanto magis abominabilis homo?* & cap. 25. *Ecce etiam luna non ſplendet, & ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius; quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis!* Hoc igitur primùm eſt aduertendum, argumento vti Scripturam à minori ad maius. *Ecce*, vel, *ſi ſubtraxerit ſe nõ placebit animæ meæ, iuſtus autem ex fide viuet; qui autem arrogans eſt*, ac ſi dixiſſet, quanto magis qui arrogans eſt. Græci autẽ enarratores hoc nexu orationis prætermiſſo, initium eſſe putant nouæ orationis ex hoc loco, *Qui autem arrogans eſt & contemtor.* itaque Theodoritus ait, Superbiam, inquit, Nabucodonoſor ex hoc loco, & cupiditatem inſatiabilẽ exponit. Deinde examinanda ſunt verba diligenter, ac priùs quid ſit ὑποςείληται, quod in epiſtola ad Hebræos Latinus interpres dixit, *ſi ſubtraxerit ſe.* Beatus Hieronymus ex Hebræo, *qui incredulus eſt.* Hebræi ipſi, *ſi ſuperbierit*, aut auidus & cupidus fuerit, aut caligauerit. Quid autẽ hoc verbo ſignificare voluerint LXX. quo modo meliùs, quàm ex aliis locis intelligimus, in

quibus

quibus clariùs hoc verbũ eſt poſitum? Igitur in Haggæi propheria c. 1. verbo hoc vſi ſunt in ſignificatione cõtinendi, ſeu retinendi, ſeu cohibẽdi. *διὰ τοῦτο ἀνέξει ὁ οὐρανὸς ἀπὸ δρόσου, καὶ ἡ γῆ ὑποστελεῖται τὰ ἐκφόρια αὐτῆς. Propter hoc retinebit cælũ ſe à rore, et terra cohibebit fructus ſuos.* itẽ in Deut. c. 1. *οὐ μὴ ὑποστείλῃς πρόσωπον ἀνθρώπου, ὅτι κρίσις τοῦ θεοῦ ἐστί. Non vereberis faciem hominis, quia iuditiũ Dei eſt.* Et Exo. 23. de Angelo præcurſore. *οὐ γὰρ μὴ ὑποστείληταί σε. non enim verebitur te.* Ergo verbũ hoc de eo dicitur, qui ſubducit ſe & ſubtrahit ab aliqua re facienda, vel formidine aliqua, vel verecundia commotus. Eodem verbo vſus eſt Apoſtolus in Actis. *οὐ γὰρ ὑπεστειλάμην τοῦ μὴ ἀναγγεῖλαι ὑμῖν πᾶσαν τὴν βουλὴν τοῦ θεοῦ. non enim ſubterfugi quo minùs annunciarẽ vobis omne conſilium Dei.* Alterum deinde verbum expendendum eſt, quid ſit *ὁ δὲ κατοιόμενος*. B. Hieronymus *τὸν κατοιόμενον* dixit eſſe eum qui eſſe ſe aliquid credit. Theodoritus, *ὁ οἰήσει χρώμενος*, inflatus ſui exiſtimatione. B. Cyprianus ad Cornelium, præſumtuoſus, quod idem ferè eſt. omnes hi ſancti doctique viri ſic legerunt in Græco, *ὁ δὲ κατοιόμενος*, quos vt veneror, & minimè reprehendendos puto, ſic quid ego de hac voce ſentiam, oro vt veniam dent, & ſi quid diuerſum dixero, indulgeant. Puto enim Lxx. tranſtuliſſe ex Hebræo non, *ὁ δὲ κατοιόμενος*, ſed *ὁ δὲ κατοινωμένος*, vel *κατῳνωμένος* quod ebrium

ſignificat,& eo verbo vtitur Plato in libris de Legibus, & Hebrææ lectioni magis cõuenit, & facilis mutatio fuit à κατῳνωμένος, vel κατοινωμένος in κατοιόμενος. præſertim cùm hæc vox κατοιόμενος inſolita ſit, neq; alibi vſquã aut apud profanos, aut apud Eccleſiaſticos auctores reperiatur. His declaratis atq. compoſitis, hunc puto eſſe verborum ſenſum. Querelis Iſraelitarum expoſtulantium cur Nabucodonoſor impio feliciter omnia ſuccederent, reſpondet Deus, & argumento quodam à minori ducto vtitur: Si in illo, inquit, qui clàm aliquid facit, & quaſi pertimeſcens ne deprehendatur, aut contra refugit aliquid facere, & ſubtrahit ſe metu aliquo, aut verecũdia, aut alia formidine commotus, in eo non complacet ſibi anima mea, ſed ille viuit, & mihi gratus eſt, qui fide munitus ac tutus, neque aliquid faciendum metu aliquo aut verecundia detrectat, neque quod vitandum eſt, clàm quodammodo & latenter facit (vtrumque enim verbum ὑποςείλασθαι comprehendit) quanto magis Nabucodonoſor ebrius & ſuperbus, qui nõ formidine aut pudore deſerit officium, ſed ſuperbia & arrogantia elatus; & neque Deum, neq; homines veritus in omnia ſcelera ruit, mihi gratus eſſe aut anima mea in eo ſibi cõplacere non poteſt? neque, quamuis omnia moliatur, quidquam proficiet, & quod vtile & in rem ſuam ſit abſoluet? Cur de me tan-

tam iniquitaté ſuſpicamini, quaſi ſceleſtiſſimo homini faucam, ſuperbè & inſolenter ſeſe gerenti, & Deũ hominesq; contemnenti? Ebrium verò vocauit, ſeu quia reuerà vino deditus erat, ſeu vt eius ſuperbiam tamquam in imagine ebrij melius oſtenderet. vt enim ebrius præceps agitur, & temere in diſcrimen ruit; ſic ſuperbus nihil metuẽs etiam in ſumma pericula ſe coniicit ſibi præfidens, & omnes alios præ ſe contemnens. hanc igitur ſtultam & incõſideratam eius audaciam vt ſignificaret, ebrium vocauit. Contemtor autem vocatur qui omnia iura violat, nihil ſancti habet, neque fœdera apud eũ, neque promiſſa quidquam valent. Illud verò quod LXX. dixerunt, οὐ θὲν μὴ περάνῃ, & nos expoſuimus, nullum operæpretium faciet, nihil quod in rem ſit abſoluet, nihil proficiet, beatus Hieronymus dixit, *non decorabitur*. nam ex magnis illis laboribus, bellis, expeditionibus, prœliis, neque decus aliquod aſſecutus eſt, cùm turpiſſimè tamquam bellua ex hominum conſortio eiectus ſit, neque vtilitatem ſibi parauit. congeſſit enim deuictarum gentium ſpolia quibus Perſæ Mediique diteſcerent. Itaque bene & proximè ad LXX. ſenſum Symmachus, οὐκ εὐπορήσει, hoc eſt, in rerum omnium erit penuria. Quod autem οὐθὲν μὴ περάνῃ diximus ſignificare, nihil ſibi proderit, id ex LXX. conſuetudine diximus qui primo Regum cap. 12. Verba Samuelis

 idola

idola contemnentis, eo quòd nihil proſint ſuis cultoribus, ſic tranſtulerunt: οἳ οὐ περανοῦσιν οὐδὲν, qui nullam cuiquam vtilitatem afferent. Sed quia vulgata noſtra editio, & Hebræi codices omnes habent, non erit recta anima eius in ipſo, ſeu in ſemetipſo, ne id quidem non expoſitum relinquendum eſt, Qui incredulus eſt, inquit, & incerto animo fluctuat, & diuinis promiſſis fidem adhibere detrectat, *eius anima nō erit recta in ſemetipſo*, hoc eſt, in anxietate ac mœrore verſabitur, & vitæ ipſius tædio laborabit, nihil habebit in quo acquieſcendum putet. dictũ eſt enim contra infideles Iſraëlitas de diuinis oraculis deſperantes, & præſentium malorum ſenſu ſpem omnem melioris ſtatus abiicientes. At verò iuſtus vir in fide ſua quam ipſe habet, ſeu mea, vt in LXX. legimus, quam in me habet, diuinis reſponſis credens, & præſentes calamitates fide ac ſpe diuinarum pollicitationum compenſans, viuet non perpetua illa vita tantummodo, ſed etiam præſenti: lætus enim & hilaris erit, ſi non præſentiũ bonorum fructu, quia malis premitur, at certè fide & expectatione futurorum. quòd ſi argumentum illud à minori ad maius in hac quoque B. Hieronymi editione lector deſideret, etiam ſic accommodari poteſt. Si qui puſillo animo cùm ſit ac detrectet diuinis oraculis credere, eius animus numquam lætus erit, ſed ſemper in mærore verſabitur,

Quanto

Quanto magis Nabucodonoſor, qui nō puſilli animi vitio detrectat fidem, ſed ex tumore atque ſuperbia audacter & temerè in omnia crimina ruit, nihil inde ſibi commodi pariet? Illud poſtremò adiiciendū his quæ dicta ſunt puto, vnde nam Lxx. verbum עפל trāſtulerint ὑποστείλασθαι, hoc eſt ſubterfugere, detrectare, vt dictum eſt, præ timore aut pudore aliquid facere? nam hanc ſignificationem in Hebræo verbo עפל Hebræi non agnoſcunt. Sed multa ſunt in quibus illi caligant, non hoc ſolum verbum, quod omnibus eſſe teſtatum volo, ne ſe Hebræorū doctorum auctoritate & anticipata exiſtimatione quaſi in ſua lingua illi peritiſſimi ſint, ſe tranſuerſos agi, & in errorem adduci ſināt, quaſi non modò in ſenſibus intelligēdis, verùm etiam in ſingulorum verborum ſignificationibus aperiendis verius nihil dici poſſit quàm quod Hebræi dixerint. Ergo eo ſenſu puto Lxx. trāſtuliſſe, quomodo hoc idem Hebræum verbum עפל in libro quarto Regum cap. 5. poſitum eſt, vbi de Giezi, poſt pecuniam à Naāman iniuſſu Eliſæi acceptam, ſermo eſt. *Cùm veniſſet*, inquit, *iam veſperi tulit de manu eorum* (qui portauerant nempe) *& repoſuit in domo.* quem locum ſic verterūt Lxx. Καὶ ἦλθεν εἰς τὸ σκοτεινὸν, hoc eſt, vt puto latenter, clam, quia factum reſciri ab Eliſæo metuebat, curauit vt in tenebris & clam rediret, quaſi ille rem non eſſet animaduer-

ſurus. hoc auté eſt ὑποστείλασθαι, mali aliquid præ metu aut verecundia clam & latéter facere, aut officium aliquod omittere. Vnde poteſt etiam de commiſſo malo, ſed furtim & latenter hic locus Abacuc intelligi. Si is qui mali aliquid, ſed latenter ac furtim & quodammodo metuens facit, tamen mihi inuiſus eſt, & diſplicet, quanto magis Nabucodonoſor placere non poterit, qui contumaciter & ſuperbè peccat, nō clam & latenter? Si qui ne me offendat reformidans criminis aliquid admittit, tamen quieſcere eius animus in ipſo non poteſt, neque ſine cura & ſollicitudine viuere, (ſolus enim iuſtus ex fide ſua viuet) quãto magis qui nihil veritus, palàm & arroganter ſcelera committit, is ſuperbiæ ſuæ nullum fructum conſequetur? ſi is qui velut inuitus vix ad peccandum perducitur, anxius eſt poſt peccatum, quid is faciet qui impudenter & arroganter peccat? neque ab hoc ſenſu diuerſus eſt Aquila interpres, quem ſic interpretatum eſſe refert Euſebius, ἰδοὺ νωχελευομένου οὐκ εὐθεῖα ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ, Ecce qui grauatè & tardè ad aliquid faciendum accedit, eius anima non eſt recta in ipſo. vbi illud attendendum, non ſolùm B. Hieronymũ ſic in expoſitione ſua poſuiſſe, *non eſt recta anima mea in ipſo*, ſed etiam LXX. & Aquilam ſic interpretatos, quamuis & noſtra editio, & Hebræi codd. habeant, *non eſt recta anima eius in ipſo*,

Qui dilatauit quaſi infernus animã ſuam, & ipſe quaſi mors & non adimpletur. & congregauit ad ſe omnes gentes, & coaceruauit ad ſe omnes populos.

Iam ad deſcribendam huius impij Regis, & omnium ejus ſimiliũ inexplebilem crudelitatem atque cupiditatem tranſit. Aptè autem poſtquam accuſauit ſuperbiam, inſatiabilem cupiditatem adiecit. eſt enim ſuperbiæ germen auiditas nimia, cùm inflato ſpiritu quiſpiam adeò ſe magnũ exiſtimat, vt nihil ſibi ſatis eſſe putet. ſed ſemper ſe eſſe rebus pluribus atque maioribus dignum exiſtimat. Vnde etiã Dauid in Pſalmo centeſimo primo ait, *Superbò oculo & inſatiabili corde cum hoc non edebam.* Animæ porrò nomine hanc inexpletam habendi atque vorandi auiditatem appellauit. Inferno autem & morti inſatiabilitatem eius comparauit, quia iis rebus in Scriptura inſatiabilitas tribui ſolet. vnde in Prouerbiis ait Salomon cap. 27. *Infernus & perditio nũquam implentur.* & externus quoque auctor dixit Acherontem auarũ. Omnia regna præterea omneſque gentes vt ſuo imperio ſubiectæ ſint, ad ſe congregabit, & ſuo imperio ſubiiciet.

Numquid non omnes iſti ſuper eum parabolam ſument, & loquelam ænigmatum eius, & dicetur. Væ ei qui multiplicat non ſua, vſquequo? & aggrauat contra ſe denſum lutum: numquid non repentè conſurgent

qui

qui mordeant te, & ſuſcitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis?

Hoc ipſum quod omnibus gentibus imperandi cupidiſſimus erit; in eius irriſionem vituperationemque vertetur. quò enim pluribus imperare concupiſcet, eo pluribus eius imperium & ſæuitia & arrogãtia inuiſa erit. adeò vt cùm lapſus erit, & imperium amiſerit, omnibus fabula fiat, & omnium ſermone & irriſione vulgetur. Parabolam, ſermonem intelligit ac tritum omnium ore prouerbium. Loquelam ænigmatum, obſcurius dictum ænigma quod interprete indigeat. Parabola autem ab eis decãtanda ea eſt quæ ſequitur, *Væ ei qui multiplicat non ſua, vſquequo?* Omnia hæc verba pondus habent, nam & vltra menſuram ſuam, & plura quàm opus habeat congerit, hoc eſt, multiplicat, deinde non ſua, vel quia aliorum erãt, vel quia non ipſi generiq; ſuo permanebunt, ſed Medorum & Perſarum erunt: tertiò nullũ finem colligendi & congerendi facit, ideoque ait, *vſquequo?* è quibus quàm ſtultè laborarit intelligi poteſt, nam & ſuperuacuo labore ſudauit, & ea congeſſit quæ non permanent, & in quærendis opibus ætatem conſumſit, earumq; fructum aliis reliquit. *Et aggrauat contra ſe denſum lutum*] ita vt nihil aliud de tanto labore illi reliquum ſit; niſi grauitas denſi luti, & onus peccatorũ illum deprimẽtium. aut multiplicatas diuitias denſum lutum appellat.

 pellat.

pellat. de terra nāque ſunt aurum & argentum, quibus cōgerendis incubuit. Lxx. tranſtulerunt, *& aggrauat iugum ſuum grauiter*] hoc eſt, onera grauia & importabilia victis imponit. aut ferreum & graue iugum, quod abrumpi non poſſit, ſed portare neceſſe ſit. quod iugum Theodoritus de tributis & impoſitis vectigalibus intelligit. fortè etiam laboribus & operibus eos conterit, luti & laterū, ad muros & ædificia extruenda. Sed quia denſum lutum in Hebręo eſt עַבְטִיט quod nomen δάνειον aut ἐνέχυρον, mutuū nempe, aut pignus ſignificāre poteſt, alius ſenſus in his verbis & quidem elegantiſſimus latet, qui ad parabolā & ænigma pertineat; vt ſtultitiam Nabucodonoſor notare velit, non ſua cumulantis, quę aliis cum fenore reddenda ſibi ſint; quid emolumenti eſt, inquit, quòd alienas opes coaceruas & auges? & tamquam ex alieno mutuo & pignoribus te ditari putas? numquam ne fore credis, vt qui mutuum & pignora dederunt, ſua repetant, eaque cum auctario quodam rerum tuarum damnoque tuo reddere cogaris? Hæc autem in auaros & diuites vndecūque diuitias augētes aptiſſimè quadrant, qui in eo quòd non ſua cumulant, efficiunt vt etiam ſuis ſpolientur. Hanc exponendi rationem etiam quod ſequitur mordendi verbum confirmat.

Numquid non repentè conſurgent qui mordeant te, & ſuſcitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis? Mor-

Morſus in Hebræa lingua vſuram ſignificat, quam cùm creditum repetitur qui acceperat adiicit, quaſi morſu ablatum, ita vt qui ex alieno creuiſſe & auctus eſſe videbatur, paulo pòſt etiam quod ſuũ erat reddere cogatur. vt ſit pauper in ſuo qui dudum de alieno diues erat. Numquámne putas, inquit, fore vt quorum ſpoliis atque rapinis auxiſti opes tuas, ij repentè conſurgant, tamquam ſi priùs dormiiſſent, & mordeant te, nõ ſolùm ſua repetentes, verùm etiam tua auferentes? B. Hieronymus hoc propriè de Medis ac Perſis interpretatur, Numquid non repentè conſurgent Medi atque Perſæ, qui Babyloniorum imperium deſtruentes mordeãt primùm, & poſtea lacerent, fiatq; eis Nabucodonoſor in rapinam, & vaſtator totius orbis expolietur à reliquis populis, qui manum & crudelitatem illius euadere potuerant? Hoc autẽ non viuente Nabucodonoſor, ſed iamdiu mortuo, Balthaſar eius nepote regnante contigit. ex quo intelligimus quæ hoc loco cum exprobratione dicuntur in totum genus Nabucodonoſor dici. Lacerantes verò victores appellantur, quia captiua corpora, & captiuorum bona inter ſe diſpertiunt. Subitò autem ex improuiſo non diu antè ſtructis inſidiis, ſed ex tempore cùm te inuadendi ſe obtulerit occaſio.

Quia tu ſpoliaſti gentes multas, ſpoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis, propter

pter ſanguinem hominis & iniquitatē terræ,ciuitatis,& omnium habitantium in ea.
Reliquos de populis à quibus illum eſſe ſpoliandum dicit B. Hieronymus eos putat eſſe, qui manum & crudelitatem Nabucodonoſor euadere potuerunt, & eius imperio non ſubiecere ceruicem. ex quibus verbis intelligimus,eum ſenſiſſe è populis Perſas ac Medos relictos eſſe; quos Nabucodonoſor minimè ſubiecerit. Hebræi hos etiam eius imperio paruiſſe dicunt, non à Nabucodonoſor victos, ſed longè antè Chaldæorũ imperio ſubiectos. Ab his itaque reliquis de populis,qui vel nũquam ſubiecti fuerint Chaldæis,vel nō à Nabucodonoſor ſubacti, eum ſpoliandum eſſe prædicit,& cauſam propter quam hac pœna ſit mulctandus, adiungit, *propter ſanguinem hominis & iniquitatem terræ,ciuitatis,& omnium habitātium in ea.* Sanguinem hominis vel Iudæ, vt vult B. Hieronymus, vel Iſrael vt Hebræi malunt. & iniquitatem terræ Iſraeliticæ nempe, quam rapinis cædeq; vaſtauit, Ciuitatis Ieruſalē proculdubio,& omnium habitantium in ea,ciuium ac populi Ieroſolymitani. Nonnulli, ex quibus eſt Theodoritus, & ex Hebræis aliqui malunt hæc generaliter de omni hominum genere, & de terris omnibus atque ciuitatibus dici, quòd omnia cæde compleuerit,& vrbes ciuibus vacuauerit.
Væ qui congregat auaritiam malam domui ſuæ,

ſuæ, vt ſit in excelſo nidus eius, & liberari ſe putat de manu mali.

Nabucodonoſor, vt in Daniele cap. 4. legimus, Babyloniam immenſis ædificiis & vaſtis operibus auxerat, ſeu ad ornatũ, quia regia ciuitas erat, ſeu ad munitionem, vt ibi tutus ab hoſtibus eſſet. qua de re cùm gloriaretur, & præ ſuperbia pænè cælum cõtingere ſibi videretur, à Deo, qui ſuperbos hũmiliat, deiectus de regno, & de ſocietate cõmercioq́; hominum expulſus eſt. *Nonne*, inquit, *hæc eſt Babylon magna quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Hæc ædificia vt extrueret, diuitias vndique contra ius faſque corraſerat, ſibi domuiq́; ſuæ infelices & noxias, vt ſublimes arces & mœnia alta poneret, vbi tãquã volucris nido in prçruptis rupibus collocato, ſeſe ab irruptione hoſtiũ tutaretur.

Cogitaſti confuſionem domui tuæ, concidiſti populos multos & peccauit anima tua.

Quod tibi gloriæ generiq́; tuo fore putauiſti, id in contrarium vertet: namque domui tuæ probro erit & contumeliæ. Concidiſti populos multos, aut toto corpore vulneribus diſſecto, aut manibus pedibusq́; detruncatis dimiſiſti; ſed id in te ipſum redundabit, vel animam tuam læſiſti, tibi ipſi nocuiſti, tibi malum paraſti. hoc enim ſignificat, peccauit anima tua, læſa eſt, malo facta eſt obnoxia. vt illud Prouerb. 8. *Qui in me*

pecca-

peccauerint, lædẽt animam ſuam. Vulnera quæ populis inflixiſti, in tuum caput recident. Lxx. pro eo quod eſt concidiſti, tranſtulerunt, conſumſiſti, vt ſignificarent totos populos ab eo vaſtatos & funditus perditos. Loquitur autem non de Nabucodonoſor tantummodo, ſed etiam de tota eius ſtirpe, de qua dicit Eſaias: *Præparate filios eius occiſioni, in iniquitate patrum ſuorum: non conſurgent, neque hæreditabunt terram, neque implebunt faciem orbis ciuitatum.*

Quia lapis de pariete clamabit, & lignum quod inter iuncturas ædificiorum eſt, reſpondebit.

Adeo certũ eſt de rapinis & præda & auaritia mala te domum ædificaſſe, & turres & arces excelſas erexiſſe, vt pænè ipſi lapides & ligna hoc ipſum clament, & de ipſis ædificiis contra te propemodum teſtimonium ferãt. Fortaſſe illud etiam dici poteſt, cùm vrbes ac prouincias euertiſſet, inde præclaros & elaboratos lapides & pretioſa ligna auexiſſe, vt Babylonẽ extrueret & exornaret. *Lignum quod inter iuncturas ædificiorum eſt.* Sic tranſtulit B. Hieronymus verbum כפיס Symmachum & Theodotionem, & Quintæ editionis auctorem ſecutus, qui tranſtulerant, σύνδεσμον ξύλου iuncturam ligni, ſeu ligneam, & ſignificare dicit lignum quod ad cõtinendos parietes in medio ſtructuræ ponitur, & vulgò apud Græcos appellatur ἱμάντωσις.

Septuaginta verò κάνθαρον poſuerunt, *& ſcorabæus de ligno loquetur ea.* nec lõgè abiit alius quidã, qui interpretatus eſt, σκώληξ, vermis. Hebræi aliqui trabem ſignificare dicunt qui continet laquear, & ideo dictũ de ligno clamare, hoc eſt, de laqueari ligneo. alij in beati Hieronymi ſententiam concedunt. Aquila in ſua interpretatione ſingularis incedit, nã μαζὰν tranſtulit, quam B. Hieronymus maſſam vertit. quid autem ſibi voluerint LXX. nondũ reperi. nàm quod aliqui dicunt, huius beſtiolæ nomine ſignificare voluiſſe etiã irrationabilia animalia contra Nabucodonoſor auaritiam atque ſtultitiam clamare, & illum coarguere, id non totum eſt Cur enim ſcarabæus de ligno magis quàm de terra clamet? præterea non ſatis aptè lapidi de pariete clamanti, adiũgitur ſcarabæus de ligno, cùm lapis inanimum ſit, hic animatus. niſi fortè nodum illum & globulum in medio ligni ſignificare voluerũt. aut fortè Κάνθαρον Lxx. dixerunt, quod eſt in vehiculis ex virgis confectum tectum, aut viminibus tectum vehiculum. Vnde trãſlatè laquear ex lignis concinnè compoſitis κάνθαρον fortè dixerunt. quod non longè abeſt ab eo quod ἱμάντωσιν dixit vocari B. Hieronymus. quod videtur ſignificare voluiſſe Eccleſiaſticus liber cap. 27. ἀναμέσον ἁρμῶν λίθων παγήσεται πάσσαλος. & vocatur loramentum ab eodem auctore cap. 22. Loramentum ligneum colligatum fun-

fundamento ædificij, quod Græcè eſt, ἱμάντωσις ξυλίνη ἐνδεδεμένη εἰς οἰκοδομὴν ἐν συσσεισμῷ οὐ διαλυθήσεται.

Væ qui ædificat ciuitatem in ſanguinibus, & præparat urbem in iniquitate.

Hæc omnia contra Nabucodonoſor dicuntur quidem præcipuè, ſed contra omnia regna quę vſque ad Chriſtum & eius aduentum fuerunt, ſimul referri poſſunt, quaſi aduerſus vnum quoddam impietatis regnũ ex iis omnibus cõflatum, à quo Iſraelitæ vexati ſint & affecti, cui regno Iſraelitarum vexatori initium dedit Nabucodonoſor, à quo ſubiugati ſemel iugum ſeruitutis excutere vſq; ad Chriſtum Dominum numquam potuerunt. Similiter autem de Ioachim Rege Iudæ dixit Ieremias cap. 22. *Væ qui ædificat domum ſuam in iniuſtitia, & cœnacula ſua non in iudicio, amicum ſuum opprimet fruſtrà, & mercedem eius nõ reddet ei*, hoc eſt quod Habacuc dicit, *præparat urbem in iniquitate*) *Qui dicit: Ædificabo mihi domum latam, & cœnacula ſpatioſa, qui aperit ſibi feneſtras, & facit laquearia cedrina, pingitq́ ſinopide.* Michæas item principibus domus Iacob, & Iudicibus domus Iſrael obiicit, quòd ædificent Sion in ſanguinibus, & Ieruſalem in iniquitate. Sanguines autem non modò cædes ſignificãt, ſed etiam opes vexatione pauperum & calumniis ac fraudibus quæſitas.

Numquid non hæc ſunt à Domino exercituum?

tuū? laborabunt enim populi in multo igne, & gentes in vacuum & deficient.

Quid proderit Nabucodonoſor & eius ſimilibus ædificaſſe ciuitatem in ſanguinibus & iniquitate, & in eam extruendam prædas omnes & rapinas victarum gentium contuliſſe, & populos multos in vaſtis illis ædificiorum operibus ſocios habuiſſe, cùm diuino conſilio atque iudicio futurum ſit, vt labores illi & immenſa opera igni crementur, & ad nihilum redigantur, adeò vt populi vel in conferendis iis quibus ad tanta ædificia opus erat, vel in labore ſuſcipiēdo laſſati defeſſiq; ſint non ad aliam rem, niſi vt igni ſatisfacerent, & ea conferrent quæ illius voracitati & ad conſumendum efficaciæ ſatis eſſent. quem ſenſum Lxx. expreſſiſſe videtur ἐξέλιπον λαοὶ ἱκανοὶ ἐν πυρί. *qui ſufficerent igni defecerunt*, laſſati ſunt. non tantum congeſſerunt opum, non tantum operæ laboriſque contulerūt, quantum igni ad vorandūm ſatis eſſet. itaque defecerūt. De Babylone por-
Ierem. 51 rò hæc dici, locus ille Ieremiæ perſuadet, dicentis; *Murus Babylonis ille latiſſimus ſuffoſſione ſuffodietur, & portæ eius excelſæ comburentur, & labores populorum ad nihilum, & gentium in ignem erunt & diſperibunt.* Ridet igitur Nabucodonoſor ſtultitiam, qui honoris cupidiſſimus, vt extarēt ſui nominis monumenta, vano labore cōſumtus ſit, & opera ſua quibus ſe perpetuam gloriam conſequi puta-

putabat, non immortalitati vt ſperabat, ſed igni dedicauerit.

Quia replebitur terra vt cognoſcat gloriam Domini, ſicut aquæ maris operientes.

Quàm ſtultè laborarit Nabucodonoſor, vt lapidibus & lignis, & muris & ædificiis, & ſtatuis nomen ſuum æternitati commendaret, ex hoc potiſſimùm apparet, quia tanta erit gloria Domini cùm venerit, vt quaſi inundatione quadam gloriæ ſuæ omnium hominum nomen & gloriam obruat atque diſiiciat, vt nihil extet ſpectatu, nihil cognitu dignum, cùm Dei nomen & gloria omnem terram operuerit. Hæc autem ſcientia gloriæ Domini tum reuelata eſt, cùm eius ſalutare omni carni manifeſtũ factum eſt, cùm Chriſtus Deus Dominuſque noſter aduenit, & ſuæ maieſtatis cognitione orbem terrarum impleuit, cùm lapis ille ſine manibus de monte præciſus, ſapientiam, gloriam, potentiamq; terrenam proſtrauit, in puluеremq; comminuit, & in montem magnum excreuit. Quod autem de Chriſti aduentu ſit hic locus intelligendus Eſaias docet, qui hæc eadem verba poſuit in ſua prophetia, cùm de Chriſti aduentu proculdubio loqueretur. *Eſa. 11.* Præterea hic idẽ Propheta Habacuc in ſua oratione cùm de Chriſti aduentu totum ſit illud carmen, poſuit hoc idem quod hoc loco prædixerat, prophetiæ forma in Dei laudem cõuerſa, *Operuit*, inquit, *cælos gloria eius,*

& laudis eius plena eſt terra. Significat autem hac forma loquēdi per aquas maris operientes veluti abyſſo gloriæ eius merſos nos eſſe, neque emergere tantiſper poſſe, vt eam vel minima ex parte aſſequi & commemorare pro dignitate valeamus, ſicut ait Dauid, *Iuſtitia tua ſicut montes Dei, iuditia tua abyſſus multa.* Sunt autem qui putent hunc verſum ad ea tempora pertinere, quibus Babylon euerſa eſt; tunc enim ex incredibili tantę vrbis caſu declaratam eſſe Dei potentiam, & perinde gloria Domini vniuerſam terrā eſſe completam, atque maris profundum contegunt aquę. Hæc eſt B. Hieronymi & aliorum quorumdam expoſitio, quam vt non reprehendo, ita priorem illam & pietate & veritate ſubnixam puto, & ex aliis Scripturæ locis confirmatam.

Væ qui potum dat amico ſuo, mittens fel ſuum & inebrians, vt aſpiciat nuditatem eius.

Duplex eſt ratio huius verſus exponendi. aut enim figuratè potus & fel, & nuditas accipiuntur, vt beato Hieronymo placet; aut propriè ſine vlla figura dicuntur. Si priore modo ſit exponendus, hūc ſenſum habebit: Exprobrat Nabucodonoſor Regi quod amico ſuo, Regibus nempe qui eadem qua ipſe dignitate, & regiis inſignibus ornati erant, poculum propinarit, in quo fel atque furorem ſuum miſcuerat, & illos inebriarit, & à regio ſublimiq; animo in longè humiliorem

deie-

deiecerit, & regiis inſignibus ac dignitate ſpoliatos videre iucundiſſimũ ſpectaculum duxerit. Hæc expoſitio ex eo confirmatur, quòd adiunctũ eſt, Bibe tu quoque & conſopire, & circumdabit te calix dexteræ Domini. nam ſi hæc figuratè de ſuppliciis Regi Nabucodonoſor à Deo irrogandis accipiuntur, ergo & potatio amici, & miſſum cũ felle poculum, & nuditas, per figuram intelligẽda ſunt. Hebræorum pleriſque ſimpliciter accipere viſum eſt, Nabucodonoſor inſolenter victoria vſum eſſe, & Sedeciam ceteroſque Reges quos vinctos habebat, cùm conuiuia celebraret, euocatos inebriare ſolitum largiore meracioreq; vino, quod fel ſeu furorẽ vocet; cumq; illi ebrij nudarent ſe & agitarentur, eo ſpectaculo barbarum & inhumanum hominem mirum in modum oblectatum. Sunt & aliæ Hebræorum de hoc loco fabulæ, quas recenſere neque neceſſe eſt, neque ſacrarum litterarum caſtitas ac puritas patitur, & libenter Iudæis relinquendę ſunt, qui eiuſmodi ſtultis & impuris fabellis tamquam porcorum ſiliquis gaudent. prior expoſitio & verior mihi & purior videtur, & ænigmaticæ ac prouerbiali figuræ, cuiuſmodi hanc orationem eſſe Propheta ſuperiùs teſtatus eſt, aptior. Theodoritus medius incedit, & poculum inebrians ſine figura intelligit, ſed id à Rege auariſſimo eo conſilio datum, vt ab ebriis defoſſos theſauros exquire-

Prou. 31. 4. ret, *nullum enim ſecretum eſt vbi regnat ebrietas*, & externorum auctorum Prouerbio admonemur, in vino eſſe veritatem. Ceterùm quia Lxx. tranſtulerunt, Væ qui propinat proximo ſuo ſubuerſione turbida, declarandum eſt quid ſit ſubuerſio turbida, ſeu vt in Græco eſt, ἀνατροπῇ θολερᾷ. Puto igitur ſubuerſionem turbidam intellexiſſe Lxx. poculum quod ſtomachum turbaret atque ſubuerteret, & ad vomitũ incitaret. Vnde etiam apud medicos huius vocis vſus eſt, ϛομάχου ἀνατροπὴ ſtomachi ſubuerſio. dicta eſt autẽ ἀνατροπὴ ἀπὸ τοῦ τρέπειν ἄνω, quod ſurſum cõuertat, & cibum è ſtomacho ad os impellat, ita vt ſuſtineri non poſſit. Poſſe autem Hebraicam vocem מספח hanc ſignificationem habere, illud argumẽto eſt, quòd Symmachus non in hunc ſenſum quidem tranſtulit, ſed tamen verbo vſus eſt, quod ab hac reuocatione cibi ad os non omnino remotum ſit, ἐκπέμπων, inquit, ἀνεκκρίτως, emittens temerè. & Theodotion ἀπὸ χύσεώς σου, ab effuſione tua. quin etiã in Leuitico c. 13. nomen ab hoc verbo deriuatum Aquila interpres ἐξανάδοσιν reddidit, quaſi puſtularum ebullitionem, & ipſi Lxx. Leuit. 25. idẽ Hebræum nomen τὰ αὐτόματα ἀναβαίνοντα τοῦ ἀγροῦ dixerunt, quæ ſponte ex agro ſurgunt, ſeu proueniunt, ſeu emittuntur. ita vt omnia hæc motum quemdam rerũ ex imo ſurſum verſus prodeuntium indicent. quod à turbatione

tione ſtomachi non eſt alienum. Turbidam verò ſubuerſionem tranſtulerunt, vt ſignificarent turbatum fecibus poculum, & fortaſſe non legerunt in Hebræo חמת, ſed ab המה nomine deducto, quod verbum ipſi iidem in Eſaiæ cap. 17. θολοῦσθαι reddiderunt, ἠχούντων καὶ θολουμένων ὑδάτων, ſonantium & turbatarum aquarum, vt calicem fecibus plenum, turbidum & feculẽtum intelligas, qui ſubuertere ſtomachum & ad vomitum cogere ſoleat, iuxta illud Eſaiæ 51. *Conſurge Ieruſalem, quæ bibiſti de manu Domini calicẽ iræ eius vſque ad fundũ: calicem ſoporis bibiſti, & potaſti vſque ad feces.* Elegantiſſimè autẽ hic vomitus & ſubuerſio turbida detectionẽ ſecretarum cogitationũ ſignificat, ex imo cordis & abdito loco tamquam ex ſtomacho erumpentiũ, quòd Nabucodonoſor vel poculis ac vino eos ad ſecreta euulgãda elicuerit; vel ſi poculum figuratè accipiendum ſit, vexationibus, ærumnis, afflictionibus ad ea prodẽda coegerit. Cui ſenſui mirum in modum fauet quod in LXX. legitur, *vt aſpiciat in ſpeluncis eorum.* Speluncas enim ſecreta intellexerũt quæ illi ne proderent occultabãt, quæ vino aut tormentis adacti euulgauerũt.

Repletus es ignominia pro glòria. Bibe tu quoque & conſopire: circumdabit te calix dexteræ Domini, & vomitus ignominiæ ſuper gloriam tuam.

Ad Nabucodonoſor hæc quoque verba dirigun-

riguntur. quæ verba ſic Hebræi explicant, Expletus es, ô Nabucodonoſor, & exatiaſti animum tuum ſuperbũ ignominia Regum, ac Principum, idq́ue pro gloria. nam in eam ignominiam ex priore gloria quam habuerant inciderunt. aut plus eorum ignominia quàm tua gloria oblectatus es, quod eſt ſuperbiſſimæ & in primis inuidæ mentis indicium, in aliorum ignominia ſuam gloriam ſitam putantis. Aut ſic, Satiatus es inferenda magis ignominia, quàm gloria tribuenda. nam cùm potentia in Principe non tam in aliis deprimendis & abiiciendis, quàm in extollendis & ornandis oſtendenda ſit, hic inhumanus & impius, quid poſſet malebat inferendis iniuriis oſtendere, quàm beneficiis conferendis. quod eſt barbari & impotentis animi & indigni qui ſit potentiæ compos. Sed Lxx. paulo aliter tranſtulerunt & intellexerunt, & hæc verba cum ſequẽtibus coniunxerunt, *Saturitatem ignominiæ pro gloria bibe tu quoque*; quod Theodoritus optimè ſic explicat, Accipe etiam tu poculũ quod miſcuiſti, eoq; hauſto priorem illam tuam gloriam depone. Quæ Lxx. tranſlatio ex aliis ſacrarum litterarum locis comprobatur. Solent enim illę, qui ignominiam perfert, eum dicere ſatiari ignominia, vt Pſalmo 122. *Multum repleti ſeu ſatiati ſumus deſpectione*, & Ieremias in Lamentationibus cap. 3. littera iod, *Dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opro-*

probriis. ergo ſatietatem ignominiæ ex gloria bibe tu quoque: poculum illud commutatæ ex gloria ad ignominiam fortunæ quo alios potaſti, tu ipſe bibe, vt eſt apud Oſee cap. 4. *Gloriam eorum in ignominiam commutabo*): *Et conſopire.*) Qui effectus ebrietatis eſt, & vini infecti felle, vt ſuperiùs dixit & pharmaco ac veneno temperati ſoporifero. Vnde Eſaias 51. *Calicem*, inquit, *ſoporis bibiſti*; & Pſalmo 59. *Potaſti nos vino compunctionis*; quod Aquila clariùs dixit οἶνον καρώσεως, vino grauedinis & ſoporis. nam & B. Hieronymus, & Lxx. Hearel ſic intellexerunt quaſi inuerſis litteris eſſet Herael, quod conſopire aut agitare ſignificat. Sed ſoporis ſignificationem ſecutus eſt ille, iſti commotionem & agitationem eo verbo ſignificari hoc loco cenſuerunt, ſed de Lxx. mox. Interim ſciendum eſt Hebręis nonnullis quia ſcriptum ſit Hearel, placuiſſe nuditatem & pudẽdarum partium reuelationem ſignificari, vt par pari reddatur. nam quia ſuperiùs dixerat, *Væ qui potum dat amico ſuo, vt aſpiciat nuditatem eius*; nunc è contrario refert, Bibe tu quoque, & nudare; vt ignominia verecundioraque tua omnibus appareãt. Ceterùm in Lxx. duplex lectio fertur; quarum alteram veriorem puto, in altera nonnihil ineſſe mendi cenſeo. Verior hæc eſt. πλησμονὴν ἐκ δόξης πίε καὶ σὺ, καὶ διασαλεύθητι, quæ lectio in multis & manuſcriptis & impreſſis libris inuenitur, &

eam

eam ſequitur B. Hieronymus & Theodoritus. in altera coniunctio καὶ vltima litera in ρ mutata, & prior ſyllaba verbi ſequentis coniuncta in vnam dictionem ſunt, & factũ καρδία σαλεύθητι cor commouere, quo modo in V.C. legitur, & à Gregorio Nazianzeno citatur in oratione quæ inſcribitur, In plaga grandinis, Bibe igitur etiam tu ô Nabucodonoſor quod aliis propinaſti, & epoto poculo commouere & agitare, & de tuo gradu labere & deturbare.

Circundabit te calix dexteræ Domini.]

Præclarè Lxx. tranſtulerũt ἐκύκλωσεν ἐπὶ σὲ ποτήριον δεξιᾶς κυρίου. *in orbem circũductus ad te tandem peruenit calix dexteræ Domini.*] iuxta illud quod in Threnis dicitur ad Edõ, *Ad te quoque perueniet calix.* Sic namque dictum eſt quaſi in orbem calix à Domino per conuiuas deferatur, tuus etiam bibendi locus veniet, & quod peius eſt, eo infeliciùs bibes quo poſteriùs. nam feculentiorẽ partem & magis turbidam cùm ad te poſtremò peruenerit calix, exhauries. Verùm B. Hieronymi tranſlatio hunc habere ſenſum poterit, etiamſi os auertas, & poculũ auerſeris, quocumque te verteris, hic calix circumdabit te, & omnes tui conatus ad amoliendũ hoc poculum irriti erunt, nam circundabit te vndique, & vbique illud paratum inuenies.

Et vomitus ignominiæ ſuper gloriam tuam.

Et cum ignominia vomes, calicis potio-

nem ferre non ſuſtinens. eaq; vomitus ignominia tibi erit pro gloria tua. Aptè autē poſt calicis potum commemorauit vomitū, nam ebrietas vomitum efficere ſolet: itaque ait Eſaias cap. 19. *Dominus miſcuit in medio eius ſpiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius & vomens.* Dicendum eſt etiam quid Lxx. habeant, *Et congregata eſt ignominia ſuper gloriam tuam.* קיקלון Hebræi, & B. Hieronymus nomen ex duabus vocibus compoſitum putant, ex קיא quod eſt vomere, & קלון quod ſignificat ignominiam. ideoq; ille tranſtulit vomitus ignominiæ. Lxx. ex קוה; id eſt, colligere, congregare, & קלון ignominia. tranſtulerunt ergo, *Et congregata ſeu collecta eſt ignominia ſuper gloriam tuam,* quod hunc ſenſum habet; ad gloriam tuam tamquam ad locum capaciſſimum omnes ignominiæ, fluminis inſtar cōfluent, quaſi ipſius gloria ſedes quædam ignominiæ ſit. hunc autem ſenſum horum verborum eſſe ex eo cognoſcimus, quia *συναχθήσεται*, ſeu congregabitur, ſic intellexerunt, ac ſi de liquente elemento dictum ſit. קוה enim congregari & colligi eſt, non vtcunque, ſed ſicut aqua colligitur, & congregatur. itaque Geneſis primo ſic tranſtulerunt idem verbum, *συναχθήτω τὸ ὕδωρ εἰς συναγωγὴν μίαν, congregetur aqua in congregationem vnam.*

Quia iniquitas Libani operiet te, & vaſtitas ani-

animalium deterrebit eos, de ſanguinibus hominum, & iniquitate terræ; & ciuitatis, & omnium habitantium in ea.

Libanum figuratè dictum eſſe B. Hieronymus putat, &eo templum ac ſanctuarium ſignificari. Superbia, inquit ille, tua & euerſio templi, & rapina ſanctuarij te depopulabitur atque vaſtabit. Alij per Libanum terram Iſraël intelligunt, iuxta illud Deuter. 3. *Tranſibo & videbo terram hanc optimam trans Iordanem, & montem iſtum egregium & Libanum.* Iniquitas ergo quam in terra Iſraël exercuiſti, operiet te. iniquitas autem rapinæ illæ ſunt ac præda quam de terra Iſraël aſportauit, aut etiam cædes promiſcua, iuxta illud Abdiæ, *Propter interfectionem & propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob, operiet te confuſio.* Eleganter autẽ dixit, operiet, nam iniquitas tegi ſolet; vbi autem ipſa tegit, ibi nil aliud niſi iniquitas ſpectatur, adeò vt etiã benefacta, ſi qua ſunt, ea minimè conſiderentur, iniquitate non permittente vt ad benefacta aſpectus perueniat. Sic è contrariò dictum eſt, *Omnia delicta operit caritas*, hoc eſt, quidquid offenſę priùs admiſſum fuerat, Caritas ſuperueniens tegit & cõſiderari non ſinit. Aut operiet te tãquam veſtimẽto quodam confuſionis, vt hiſcere tibi terram exoptes magis quàm in tanta ignominia verſari, vt dixit Abdias in loco quem proximè citauimus, *& vaſtitas animalium deterrebit eos.*

Si

Si per Libanum terrã Iſraël accipimus, conſequenter animalia Libani habitatores terræ Iſraël accipere debemus. Fuiſſe autẽ Libanum vel ſilueſtribus animalibus, vel gregibus & armentis plenum, declarat Eſaias cap.40. *Libanus*, inquit, *non ſufficiet ad incendendum, & animalia eius non ſufficient ad holocauſtum.* Cædem igitur factam, ac prędam de Iudæis auectam, & eorum multitudinem quaſi greges de terra Iſrael abactos his verbis indicat. Vaſtitas ergo horũ animalium terrebit te; cogitantem quantam aduerſus ea ſæuitiam exercueris. aut propter eam vaſtitatem in ſummum terrorem cõiicieris, & hoſtibus aduenientibus pertimeſces.

De ſanguinibus hominum & iniquitate terræ, & ciuitatis; & omniũ habitantiũ in ea.

Iam declarare videtur quòd figuratè dixerat iniquitatem Libani & vaſtitatem animalium. Propterea, inquit, confunderis atq; terreberis; quia ſanguine Iſraelitarum fuſo, terram Iſrael deprædatus es. & ciuitate Ieruſalem euerſa, omnes habitatores eius captiuos duxiſti.

Quid prodeſt ſculptile quia ſculpſit illud fictor ſuus, conflatile & imaginem falſam?

In his verbis pręcipuè in Nabucodonoſor ſtultitiam inuehitur, qui Dei auxilio victoria potitus, illam falſis Deis & idolis aſcripſit, & fabricatam Beli ſtatuam in campo Dura poſuit. Sed conſequenter in totum Idolatrarum

rum Regnum quod vſque ad Chriſti aduentum durauit, hæc obiurgatio pertinet. Epiphonematis autem loco ad extremum hoc poſitum eſt, quod ad omnia regna quatuor idolis dedita referatur. Quid regno Chaldæorum, inquit, quid Perſarum atque Medorum, quid Græcorum, quid poſtremò Romanorum tantiſper certè dum idola coluit, ipſa idola profuerunt? Num, inquit, liberare regna hæc ab excidio potuerunt? num ſalutem illis dare, num conſeruare? cùm omnia iam idolatrarũ regna iaceant & euerſa ſint? num in die afflictionis eorum inuocantibus adeſſe, & auxilium ferre quiuerunt? deſtructum eſt idolatriæ regnum, quod ab Nabũcodonoſor vſque ad Chriſti Domini aduentũ durauit: nam primus Nabucodonoſor adorare ſtatuam, poteſtatis & imperij ſui iure coegit. Sculptile autẽ ex lapidibus aut lignis fit, conflatile ex metallis, quæ ſolui conflarique poſſunt. Pro imagine falſa in Hebræo eſt, & doctor falſus. quo nomine idolorum ſacerdotes & ſacrorum conſulti ſignificantur; quidnam hi profuerũt, cùm ſuis execrabilibus ſacris auertere peſtem & exidium à regnis idola colentium nequiuerint? ſignificantiùs autem φαντασίαν ψευδῆ LXX. poſuerunt, id enim ſculpſit artifex & cõflauit, non quòd ipſe viderat, ſed quod in ſua phantaſia, nihil enim aptius dici poteſt, falsò commentus erat: Aut fantaſiam falſam idolum vocat,
quia

quia præter extrinſecam lineamẽtorum ſpeciem nihil hominis ſimile habeat. Simulacra muta eleganter in Hebræo legũtur cum quadam paronomaſia elilim illemim.

Væ qui dicit ligno, expergiſcere: Surge, lapidi tacenti: numquid ipſe docere poterit?

Pergit deridere ſtoliditatem idolis ſeruientium, quòd cùm ipſi meliori atque præſtantiori natura ſint, vtpote qui loqui aliquid, & quæ optent petere poſſint, nihil ſentientes Deos alloquátur, & ſtipitem orent vt expergiſcatur, & quaſi è ſomno euigilet, ac ſuas preces attendat, & lapidem tacentem, omniq́ue ſenſu carentem vt ſurgat & opem ferat. Pro tacente Lxx. poſuerunt ὑψώθητι prima Hebraica littera paulùm diuerſa, pro דומם, רומם, exaltare, & vires tuas excita, & nos adiuua. quid enim ſtultius, quàm ſentientem & loquentem, cum eo qui nec ſentiendi, neq; loquẽdi vim habet, colloqui? quid autem ab eo doceri expectas, quid tibi faciendum ſit, qui nec ſapit, nec ſentit? vel, vt Lxx. dixerũt, non aliud eſt quàm fantaſia comminiſcentis artificis, vel mutum hominis ſimulacrum & imago?

Ecce iſte coopertus eſt auro & argento, & omnis ſpiritus non eſt in viſceribus eius.

Comparat falſos Deos & idola cum Deo vero. Illa, inquit, falſa fantaſia falſusq́ue Deus, coopertus eſt argento & auro, ideoq; cùm ex metalli nobilis licet materia compoſitus ſit,

non carne & ſanguine conſtet, nullus ſpiri-
tus in eo eſt, nullam ſpiritus formam habet,
non modò hominis, ſed ne belluæ quidem
ſpiritu præditum eſt. nam ſimilitudinem ali-
quam corporis effingere potuerunt artifices,
ſpiritus nullam portionẽ tribuere potuerũt,
cùm id Dei ſolius munus ſit. *Dominus autem
in templo ſancto ſuo, ſileat à facie eius omnis ter-
ra.* At verò Dominus non in auro & argento
detinetur, ſed habitat in templo ſancto ſuo,
in cælo, mirabilibuſq; & venerandis & om-
ni admiratione dignis ſedibus, vnde omnia
proſpicit, omnia ſuis oculis ac prouidentiæ
ſubiecta habet, vnde vocem ſuam mittit, &
Prophetis ſuis ventura prædicit, vnde etiam
Verbum ſuum quod in principio apud eum
erat, mittet, ſibi coæternũ & coæquale, non
mutũ Deum & tacentem qualia idola ſunt.
Sileat igitur omnis terra à facie eius, & cum
tremore ac timore diſciplinam & doctrinam
eius apprehendat; neque ſuis falſis doctrinis,
& idolatriæ fabularumq; ſuarũ commentis
importunè homines obſtrepant, ſed cum ſi-
lentio & veneratione cæleſtem doctrinã ac-
cipiant. Quod autem dictũ eſt, *coopertus auro
& argento*, non honoris gratia dictũ eſt, ſed
magis ad contemtũ idolorum pertinet, vt ſi-
gnificet opertum, quaſi detentum irretitum;
comprehenſum, concluſum, vt ex Hebræa
dictione תפוש apparet. Lxx. ἔλασμα ἀργυρίου,
ductã ex argento laminã, ex argenti laminis
ducti-

ductilibus factũ. Quod item B. Hieronymus dixit, *Sileat à facie eius omnis terra*, Lxx. verò, Pertimeſcat ſeu reuereatur à facie eius omnis terra; vtramq; ſignificationẽ verbum Hebræum cõplectitur, & ſilẽdi & pertimeſcẽdi. Propriè autẽ cùm habet ſignificationẽ ſilendi, accipitur pro eo quod eſt murmur cõpeſcere & ſilentiũ facere dicturo, vt illius verba exaudiri poſſint, ne ſtrepitu & murmure obturbentur. Ergo Propheta ſilentiũ indicit, vt omnes verbum illud diuinũ, quod in templo ſuo, in carne nimirum quã aſſumſit, habitat quietè & animo & linguis fauẽtes audiamus. Quod ſi Lxx. interpretatio quid habeat exponendum ſit, dicemus, Prophetam hortari vt omnis terra pertimeſcat à facie Dei tamquã eius qui iam veniat, & propè ſit, & potẽtiam omnẽ terrenã, & regna & idolatriam ſit euerſurus, & vi maieſtatis & potẽtiæ ſuę conculcaturus, vt ferè iiſdem verbis legimus in Pſal. 95. *Cõmoueatur à facie eius vniuerſa terra, dicite in gentibus quia Dñs regnauit à ligno.* non enim ſolum Babylonis regnũ, aut Medorũ Perſarumq́;, aut Græcorũ, ſed omnium idola colentiũ proteret atq. deiiciet, & ſuum ſolius per orbem terrarũ ſtatuet, atq. fideles ſuos eripiet & adiuuabit. Sic dixit Zacharias c. 2. *Sileat omnis caro à facie Domini, quia conſurrexit de habitaculo ſancto ſuo*, quaſi venturus, & vltionem de hoſtibus vexatoribus populi ſui expetiturus.

VVLGATA EDIT.

Oratio Habacuc Prophetæ pro ignorationibus.

CAPVT III.

DOMINE *audiui auditionem tuam, & timui: Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud. In medio annorum notum facies, cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. Deus ab auſtro veniet, & ſanctus de monte Pharan. ſemper. operuit cælos gloria eius & laudis eius plena eſt terra.*

Splendor eius vt lux erit: cornua in manibus eius.

Ibi

LXX. EDITIO.

Oratio Habacuc Prophetæ cum Cantico.

DOMINE *audiui auditum tuum, & timui: Dn̄e cōſideraui opera tua, et obſtupui: in medio duorum animalium cognoſceris. Cùm appropinquauerint anni cognoſceris. Cùm aduenerit tempus demōſtraberis, cùm turbata fuerit anima mea, in ira miſericordiæ recordaberis.*

Deus à Theman veniet, & ſanctus de monte vmbroſo et condēſo. Diapſalma. operuit cælos virtus

eius

VVLG. EDIT.

Ibi abſcondita eſt fortitudo eius.

Ante faciem eius ibit mors, & egredietur Diabolus ante pedes eius.

Stetit & menſus eſt terram: aſpexit & diſſoluit gentes, & contriti ſunt montes ſæculi: incuruati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius.

Pro iniquitate vidi tẽtoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.

Numquid in fluminibus iratus es Domine? aut in fluminibus furor tuus,

LXX. EDIT.

eius, & laudis eius plena eſt terra.

Et ſplendor eius quaſi lux erit cornua in manibus eius: & poſuit dilectionem robuſtam fortitudinis ſuæ.

Ante faciem eius ibit verbũ, & egredietur in campum poſt pedes eius.

Stetit & cõmota eſt terra: aſpexit & diſtabuerunt gentes, contriti ſunt montes violentia: tabuerunt colles ſæculi itineris ſempiterni eius.

Pro laboribus vidi tabernacula Æthiopum, pauebunt & tabernacula terræ Madian.

VVLG. EDIT.

tuus, vel in mari indignatio tua? Qui aſcendes ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſaluatio.

Suſcitans ſuſcitabis arcum tuum, iuramenta tribubus quæ locutus es. ſemper.

Fluuios ſcindes terræ.

Viderunt te & doluerunt montes; gurges aquarum tranſiit: dedit abyſſus vocem ſuam, altitudo manus ſuas leuauit.

Sol & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo: in luce ſagittarum tuarum ibunt, in

LXX. EDIT.

Numquid in fluminibus iratus es Domine? aut in fluminibus furor tuus, vel in mari impetus tuus? Qui aſcendes ſuper equos tuos, & equitatio tua ſalus.

Intendẽs extendes arcum tuum ſuper ſceptra dicit Dominus. Diapſalma.

Fluuiis ſcindetur terra.

Videbunt te, & dolebunt ſiue parturient populi. Diſperges aquas itineris. Dedit abyſſus vocem ſuam, altitudinem fantaſiæ.

Eleuatus eſt Sol, et luna ſtetit in ordine ſuo, in luce iacula tua

VVLG. EDIT.

in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.

In fremitu conculcabis terram, in furore obſtupefacies gentes.

Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo: percuſſiſti caput de domo impij: denudaſti fundamentum vſq. ad collũ. ſemper.

Maledixiſti ſceptris eius capiti bellatorum eius, venientibus vt turbo ad diſpergendum me. Exultatio eorũ ſicut eius qui deuorat pauperẽ in abſcõdito:

Viã feciſti in mari equis tuis in luto aquarum multarum.

Audiui

LXX. EDIT.

tua ibũt in ſplendore coruſcationis armorũ tuorum.

In comminatione imminues terram, et in furore detrahes gentes.

Egreſſus es in ſalutem populi tui, vt ſaluares Chriſtos tuos. Miſiſti in caput impiorum mortem, ſuſcitaſti vincula vſque ad collũ. in finẽ.

Diuiſiſti in ſtupore capita potentiũ, commouebuntur in ea: aperient frenos ſuos, ſicut comedẽs pauperem in abſconſo.

Et ſuperduxiſti in mari equos tuos conturbantes aquas multas.

VVLG. EDIT.	LXX. EDIT.
Audiui & cõturbatus eſt vẽter meus: ad vocem contremuerunt labia mea. Ingrediatur putredo in oſſibus meis, et ſubter me ſcateat, vt requieſcam in die tribulationis meæ, vt aſcendã ad populum accinctum noſtrum.	*Cuſtodiui & extimuit venter meus à voce orationis labiorum meorum. Et ingreſſus eſt tremor in oſſa mea, et ſubter me conturbata eſt fortitudo mea. Requieſcam in die tribulationis meæ, vt aſcendã ad populum peregrinationis meæ.*
Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis: mẽtietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum: abſcidetur de ouili pecus, & non erit armentum in præſepibus.	*Quia ficus non afferet fructum, & non erunt germina in vineis; mentietur opus oliuæ, & campi non facient eſcas: defecerunt eo quòd comederent oues, & non ſunt boues in præſepibus.*
Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo.	*Ego autẽ in Dño exultabo, gaudebo ſu-*

Deus *per*

VVLG. EDIT.	LXX. EDIT.
Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quaſi ceruorum. Et ſuper excelſa mea deducet me, victori in Pſalmis canentem.	*per Deo ſalutari meo. Dn̄s Deus fortitudo mea, & ponet pedes meos in cōſummationē ſuper excelſa imponet me, & vincam in cantico eius.*

SVNT qui putent hanc eſſe illam viſionem quam vt ſcriberet iuſſum eſt Prophetę, quòd in hac oratione multa dicantur quę ad liberationem populi Dei, & hoſtium euerſionem pertineāt. Sed & inſcriptio ipſa quia non viſio aut onus, ſed oratio prænotatur, & forma dicendi non tam prophetanti apta, quàm laudanti, contrarium arguunt. Alij putant veniam petere Prophetā in hoc cantico, quòd ignoranter & inconſideratè ſuperiùs nonnulla dixerit, vt ſunt illa: *Vſquequo Domine clamabo & non exaudies? Vociferabor ad te vim patiens, & non ſaluabis?* &, *Quare non reſpicis iniquè agentes, & taces deuorante impio iuſtiorem ſe?* In hac ſententia Hebræi veteres ſunt, & B. Hieronymus, eamq́; confirmant ex eo quòd in titulo ſcriptum eſt, *Pro ignorationibus, hoc eſt, pro iis quæ temerè ſuperiùs à Propheta effuſa ſunt.*

Hæc ſententia quamuis cum Latina editione conſentiat, tamen à Græcis diſcrepat.

Lxx. namque non, pro ignorationibus, verterunt, ſed μετὰ ᾠδῆς, cum cantico. nam vox Hebræa שגיונות etiam ᾠδὴν carmen & cantum ſignificat, & vt dicam quod ſentio, puto illos legiſſe הגיון, quod ſolent ᾠδὴν transferre, vt Pſalmo 9. ᾠδὴ διαψάλματος, *Canticum diapſalmatis.* & Aquila, ᾠδὴ ἀεὶ, Canticum ſemper, & Symmachus, μέλος διαψάλματος, melos diapſalmatis, & in Pſalmo 92. μετ' ᾠδῆς ἐν κιθάρᾳ, cum cantico in cithara. Sed ſine aliqua mutatione litteræ alicuius legitur hoc nomen in titulo Pſalmi ſeptimi, quo in loco tranſtulerunt Lxx. ψαλμὸς τῷ Δαβὶδ. quod alij recentiores interpretes, vt etiam in hoc cantico reddiderunt ὑπὲρ ἀγνοίας, vel ἀγνοημάτων, pro ignorantia, vel ignorationibus. Nam quod in præſenti Cantico dicit B. Hieronymus à Theodotione tranſlatum, pro ſpontaneis, mēdosè ſcriptum in ſuo codice habuit, ὑπὲρ ἑκουσιασμάτων, pro ſpontaneis, cùm ille tranſtulerit ὑπὲρ ἀκουσιασμάτων pro inuoluntariis. Notant autem etiam ex Hebræis doctoribus aliqui, orationē hanc ad modum Canticorum atque Pſalmorum eſſe compoſitam, quia dictiones aliquæ in ea inueniantur, quas nuſquam niſi in ſolis Pſalmis legimus, vt hæc dictio שגיונות & dictio, Sela, quam ſolent Lxx. transferre διάψαλμα. In Cantico autem hoc nihil poſitum eſt, quod ad veniam petendam ſpectet. itaque optimè Lxx. tranſtulerunt μετ' ᾠδῆς, cum

cantu.

cantu. Ego verò ſi mihi de hac re aliquid dicēdum ſit, puto, Canticum hoc verè laudem Dei continere cum reuerentia quadam & timore cōiunctam, pro magnitudine rerum à Deo ad populi ſui liberationem geſtarum. nam cùm poſt querelas illas in primo capite poſitas, & in perſona infirmiorū hominum à Propheta prolatas, præcepiſſet illi Deus vt ſcriberet viſum, & illi reuelaſſet venturū aliquando eum, qui populum ſuum à Nabucodonoſor, & reliquorum Principum impia tyrannide liberaret, modum quidem quo liberandus eſſet, vt ſcriberet non præcepit, ſed proculdubio Propheta, ſpiritu Dei doctus, intellexit, nulla ex illis antiquis miraculis quæ olim in populo ſuo vel ab Ægyptiorum ſeruitute liberando, vel in Chananæorum terram inducendo Deus feciſſet, in hac noua, & per Chriſtum facienda liberatione defutura. Itaque celebrat in hoc Cantico Propheta Dei potentiam, & mirifica illa commemorat diuerſis temporibus pro illius populi ſalute geſta, vt ea omnia oſtendat in hac inſigni Chriſti victoria, & populi Chriſtiani liberatione in vnum conuentura. neq; enim de illa Babylonica liberatione carmen hoc intelligi poteſt: cùm adeò mirabilis non fuerit, vt hæc quæ in hoc Cantico commemorátur in illam cadere poſſint. neque vlla alia ante Chriſtum poſt illam Babylonicam illius populi fuit liberatio, quæ nō dicam præ-
ferri,

ferri, ſed æquari cũ illa poſſit vſque ad Chriſti tempora, quo tempore prophetia ceſſante, veritas adfuit. Quòd ſi non de Babylonica, neque de alia vlla hæc poſſunt intelligi quæ poſt Babylonicam fuerit, non de alia quàm de illa per Chriſtum facta, per quam fidelis populus in Iſraëliticam gentem vi fidei adoptatus, ab idolorum, impiorumque Principum & idolis deditorũ ſeruitute mirabiliter eſt ereptus, intelligi poteſt. Neque verò ex Hebræis qui modò aliquid vident ab hac ſententia alieni ſunt, & tantiſper illi fauent, quod & de futura per Chriſtum liberatione Prophetam dicere fatentur, & mirabilem illam adeò fore, vt omnibus ſuperiorum temporum admirabilibus Dei factis æquari poſſit; hoc ſolùm à nobis diſſident, quòd illi adhuc futuram expectant, cùm Gog & Magog exercitus in Ieruſalem ad bellum aſcendent, vt ipſi fabulantur, ibiq; inſigni victoria proſternentur: Nos iam factam credimus, & epinicio carmine celebramus. Hunc ergo non allegoricum, ſed litteralem huius Cantici ſenſum puto, quamuis diuino quodam ſpiritu variis pulcherrimisque figuris exornatum. Canit igitur Chriſti victoriam Propheta, per quam à ſuis fidelibus veris Iſraelitis, qui vel reliquiæ illæ Iſraelitarum erant, quibus redditæ ſunt promiſſiones patribus factæ, quales Apoſtoli, & primi illi credentes fuerunt, vel per illos in Iſraelitarum & Abra-

hami-

hamiticum genus vigore fidei ſunt inſerti, quales nos gentiles ſumus,& rem,& nomen populi Dei conſecuti, impiæ tyrannidis iugum depulſum eſt; quique ab Regum idolis ſeruientium imperio liberati,rurſus Regi ex ſtirpe Dauid ſeruiũt. cuius ſtirpis Regem habere populo Dei, ex quo per Nabucodonoſor Regio honore priuatus eſt,neque regnãtibus Chaldæis, neque regnantibus Perſis ac Medis, neque ſub imperio Græcorum, neq; Romanorum vmquam licuit,vſque ad Chriſti Domini noſtri aduentum, qui cùm Tabernaculũ Dauid quod ceciderat, erexiſſet; vt inquit Propheta alter, ſuper thronum patris ſui ſedit & ſedebit in æternum, regitque populum ſuum,non vt imperio &tyrannide premat, ſed vt ad regni ſui conſortium in ſe credentes,ſperantes amanteſq; perducat.Hę querimoniæ illæ fuerant Iſraelitarum vt ſuperiùs Propheta hic idem dixit, conquerentium ſe regio honore ſpoliatos,impio &alienigenæ Regi in prædã obiectos,quos vt conſolaretur, & querelarum cauſas abſcinderet; per viſionem oſtenſum eſt Prophetæ fore vt adeſſet,& in finem appareret, qui ab alienigenis Regibus Dei populum vindicaret.

Domine audiui auditionem tuam, & timui: Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud: in medio annorum notum facies, cùm iratus fueris miſericordiæ recordaberis:

Audi-

Auditum Dei quem hoc loco intelligat Propheta, quæritur. Ac nõnullis videtur quæ per viſionem ſuperiùs poſitam Prophetæ à Deo reuelata ſunt; ea Dei auditum vocari. Hanc ſententiam probauit B. Hieronymus, Audiui, inquit, pœnas, quas Nabucodonoſor & diabolo præparaſti, in quibus dixiſti ei, *Væ qui multiplicat nõ ſua, &c.* Aliis paruo ab hac ſententia diſcrimine videtur Auditum Dei dici quidem viſionem Prophetæ oſtenſam, non tamẽ in his quæ ſcripta ſunt expreſſam, ſed priuatim illi demonſtratam, in qua non modò futura liberatio, ſed modus etiam liberationis reuelatus eſſet, de quo modo fere per totum Canticum agitur. Tertia eorum ſententia eſt, qui auditum Dei dici putant præcedentium Prophetarum oracula. Media illa expoſitio commodiſſima videtur, vt auditus Dei ſit illa Prophetæ facta etiam ſi non ſuperiùs deſcripta reuelatio, in qua vniuerſa ratio Redemtionis futuræ cõtineatur, quam etiam ipſe Propheta in hoc Cantico deſcribit, qua expoſita rurſus inquit, Audiui, nempe hæc quę hucuſque cecini, & conturbatus eſt venter meus. Ergo, Audiui, inquit, auditionem reuelationemque tuam, in qua declaraſti quàm magnificè, quamq; mirabili ratione populum tuum ſis liberaturus, & potentiam tuam atque maieſtatem in hoſtibus coercendis ac puniendis, tuiſque conſeruandis cùm intellexiſſem timui, & veneratio ti-

morq;

morque nominis tui animo iniectus eſt. Poteſt etiam commodè tertia quoque ſignificatione auditus accipi: Domine auditum famamque tuam ac nomen ex Scripturis audiui, & maieſtatem tuam, & admiranda tua facta ex illis intelligens obſtupui, & timore ſum ac veneratione defixus. quam verò famam ex diuinis Scripturis acceperit, in conſequentibus narraturus eſt: quòd népe olim populum ſuum in manu potenti & brachio excelſo, in ſignis multis atque portentis liberarit.

Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud.

Viuifica quod pollicitus es, tuũ imple promiſſum ac fidem libera, vt quem venturum oſtendiſti, præſentem exhibeas. ſic B. Hieronymus ex Hebræorũ ſui temporis, vt puto, & Nazaræorum traditione mutuatus. Alij opus Dei ipſum populum Iſrael interpretantur, ad quem modũ dixit Iſaias cap. 45. Super filios meos, & ſuper opus manuum mearum mandate mihi. hoc igitur opus manuũ tuarum dum in Babylone ſub Chaldæis, & deinde ſub aliis regibus degit, cùm propter vim cladium & ęrumnarum pænè extinctum ſit, viuifica; ne genus vnde & Chriſtus, & fidelium tuorum Eccleſia orietur, penitus intercidat. Aut opus tuum, quod olim facere ſolitus es, cùm de hoſtibus populum Iſrael defenderes atque liberares, in medio annorum

cùm

cùm vel ſub Chaldęis, vel ſub ceteris gẽtibus Iſraelitica gens erit, excita atque reprę́ſenta.

In medio annorum notum facies, cùm iratus fueris miſericordiæ recordaberis.

Non precantis eſſe verba hæc B. Hieronymus exiſtimat, ſed prædicentis. Cùm venerit, inquit, tempus, & opere promiſſa cõpleueris, monſtrabis vera eſſe quæ pollicitus es. Sed poteſt etiam accipi vt ad Orationẽ Prophetæ hæc quoque verba pertineant, In medio horum annorum cum dominatu exterarum gentium Iſrael premetur, notum fac verbum tuum quod pollicitus es, non commiſſurũ te, vt cùm in terra inimicorum erũt, obliuiſcaris eorum, neque penitus abiicias atque conſumas: & cùm captiui tenebũtur, quod tempus erit iræ tuæ, miſericordiæ recordaberis, vel quòd ipſe miſericors es, & ad clementiam ex naturæ tuæ ingenio propenſior, vel miſericordiæ tuæ ac fœderis quod cum patribus eorum pepigiſti. vtrumque enim miſericordiæ nomen in Scriptura ſignificat. vnde illud in Pſalmo 88. *Miſericordias Domini in æternum cantabo.* & in Cantico beatæ Mariæ, *Recordatus miſericordiæ ſuæ, ſicut locutus eſt ad Patres noſtros.* hic namque pactũ ac fœdus accipitur. Sed quia nonnihil in LXX. diuerſum eſt, prætereundũ ſilentio non puto quod illi tranſtulerunt, *In medio duorum animalium cognoſceris, cùm appropinquauerint anni cognoſceris, cùm aduenerit*

uerit tempus oſtenderis. In quibus verbis primum illud animaduertendū eſt, duas ſimul congeſtas eſſe trāſlationes: nam, cùm appropinquauerint anni cognoſceris, idē eſt cum eo quod ſequitur, dū appropinquauerit tempus oſtenderis; ſint ne ambæ LXX. an altera LXX. altera alterius cuiuſlibet interpretis, ignoro. illud tantùm affirmari poteſt, antiquiſſimam lectionem eſſe, & ab Eccleſiaſticis ſcriptoribus antiquiſſimis hoc modo legi, à B. Hieronymo in hunc locum, à B. Auguſtino in lib. de Ciuitate Dei 18. à Theodorito, ab Euſebio de Demōſtratione Euangelica libro 6. à Cyrillo & Heſychio in hūc Prophetam. Deinde illud animaduertendum, quod in priore parte trāſlatum eſt apud Latinos, *In medio duorum animalium*, id in Græco eſſe, ἐν μέσῳ δύο ζώων. quam extremā vocem antiquiores quidem Græci accentu in penultima acuto legerūt, ab recto ζῶον animal, ſic omnes Latini habent codices & auctores, Tertullianus 4. contra Marcionem, Hieronymus in hunc Prophetam, Auguſtinus 18. de Ciuitate Dei. Græci etiam auctores Euſebio priores, vt ipſe idem in 6. de Demonſtrat. Euangelica libro teſtatur. quamuis ipſi ea lectio minimè probetur, & primus omnium quod ſciam, circūflexa vltima ſyllaba, legendum putarit, ἐν μέσω δύο ζωῶν, in medio duarum vitarum, à recto ζωὴ vita. Euſebiū ſecutus eſt Theodoritus & Heſychius.

Cyrillus tamen quáuis alio quàm vetuſtiores nõnulli ſenſu, certè ζώων legit, & in medio duorum animaliũ cognoſci Dei filium explicat. Priùs ergò exponendum eſt quid ſit *in medio duorum animalium cognoſceris.* Tertullianus libro quarto aduerſus Marcionem cùm hoc Canticum de Chriſto accipiat, tũc cognitum eſſe cum in medio duorũ animalium putat, cùm inter Moyſen & Heliam transfiguratus apparuit. cuius expoſitionis breuiter per tranſitum B. Auguſtinus lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 32. mentionem fecit, vbi & alias duas commemorauit his verbis, *In medio duorum animalium cognoſceris*, quid eſt, niſi aut in medio duorum teſtamentorũ, aut in medio duorum latronum, aut in medio Moyſi & Helię cum eo in monte ſermocinantium? B. autem Hieronymus hac tertia prætermiſſa, ſecundam ſimplicem eſſe, & opinioni vulgi accommodatam putat, nempe quòd inter duos latrones crucifixus agnitus ſit, primam de duobus teſtamentis non improbat, addit & quartam, in medio duorum animalium cognoſci Dominum, quia Pater per Filium intelligatur & Spiritum. Quintã poſtremò probat, Qui, inquit, melius, hoc dicunt, quod in prima Eccleſia, quæ de circumciſione fuit, & de præputio cõgregata, duobus populis ſe hinc inde cingentibus, intellectus ſit Saluator & creditus. Euſebius qui non animalia, ſed vitas ſignificari puta-

putauit, inter duas vitas vnam humanam, alterám diuinam Dominum noſtrum cognitum eſſe ait, quòd cùm Deus eſſet, homo etiam fieri voluerit. Paulò aliter Heſychius & Theodoritus, ſed tamen vitas cum Euſebio intelligentes; inter præſentē & futuram vitam Deum iuſtum iudicem agnoſci dixerunt. Affert præterea Theodoritus alias tres veterum de hoc loco ſentētias, quorum alij duo animalia Angelos & homines intellexerint; alij Iudæos & Babylonios; alij duas illas naturas quæ inter incorporeas virtutes proximè ad diuinam gloriam accedunt, nempe Cherubim & Seraphim. In qua ſententia Cyrillus Alexandrinus fuit, quòd olim inter duo Cherubim de ſancto ſanctorum voces & oracula diuina edebantur; per quæ Deus agnoſceretur. Dicendum eſt etiam, ſi quid poſt tantos viros dicere liceat, quid mihi videatur. Ego cùm priſci omnes Eccleſiæ doctores non in medio duarum vitarum, ſed in medio duorum animalium & legerint, & intellexerint, non puto quicquam eſſe mutandum, vt pro duobus animalibus duas vitas reponamus. Solet autem Scriptura animalium nomine ſeu ζώων, caſtra & acies ſignificare; vt 2. Regum cap. 23. cùm in Hebraico ſit, *Animalia Philiſtinorum erant poſita in valle gigantum*, B. Hieronymus reddidit, *Caſtra autem Philiſthinorū*, & ſimiliter LXX. τάγμα τῶν ἀλλοφύλων, *acies Allophylorum.*

quinetiam ipſæ Hebraicæ litteræ quod hoc loco dictum eſt, animalia Philiſthinorum in lib. 1. Paralipom. cap. 11. expoſuerunt per vocem מחנה quod eſt caſtra. duo igitur animalia, duas acies ſeu congregationes intelligimus, inter quas Chriſtus agnoſcitur. Quæ ſunt iſtæ duæ acies? iam illas Propheta Ezechiel deſcripſit à ſe inuicem diſtractas atque diſiunctas, & rurſus in Chriſto iungendas: *Factus eſt*, inquit, *ſermo Domini ad me dicens, Et tu fili hominis ſume tibi lignum vnum, & ſcribe ſuper illud Iudæ & filiorum Iſrael ſociorum eius: & tolle lignum alterum, & ſcribe ſuper illud Ioſeph lignum Ephraim & cunctæ domus Iſrael ſociorumque eius. & adiūge illa vnum ad alterum tibi in lignum vnum, & erunt in vnionem in manu tua.* quam figuram declarans paulo pòſt, ait: *Ecce ego aſſumam filios Iſrael de medio nationum ad quas abierunt, & congregabo eos vndique, & adducam eos ad humum ſuam: & faciam eos in gentem vnam in terra in montibus Iſrael, & Rex vnus erit omnibus imperans, & non erunt vltra duæ gentes, nec diuidentur amplius in duo regna.* & paulo pòſt, *Et ſeruus meus David Rex ſuper eos, & paſtor vnus erit omnium eorū.* & apertiùs Dominus noſter in Euangelio ait, *Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient: & fiet vnum ouile, & vnus paſtor.* Certè & decē tribus, quæ Ephraim à Regia tribu dicebantur,

priùs

priùs à Salmanaſar captiuæ ductæ fuerant, & duæ poſtea nempe Iuda & Beniamin à Nabucodonoſor, cùm iam antea regnum Iſrael ſub Roboam in duo ſciſſum eſſet, & in duas virgas, vt Ezechiel inquit, bipertitũ. Rediiſſe autem poſt captiuitatem Babylonicam ex Iuda & Beniamin multos in Iudæam eiuſq́; ciuitates, in ſacris litteris reperitur. De captiuitate autem decem tribuum redierint nec ne, nihil expreſsè legitur, niſi quòd Rex Aſ- 4.Reg.17 ſyriorum multas gentes in ciuitates Samariȩ tranſtulerit: in quas cùm immiſiſſet Dominus leones, miſit eôdem vnum de Sacerdotibus captiuis, vt eos doceret ritus & legitima Dei. Vnde factum eſt vt illæ gẽtes miſtæ ex varia gentiũ colluuione promiſcuo quodam religionis genere vterentur, vt & Dominum colerent, & Diis etiam ſuis cultum adhiberent. Sed quamuis id apertè ſcriptum non ſit, obliquè tamen Scriptura docet, multos iam diſperſos ex Iſraelitis, & ex decẽ tribubus in Samariam eiuſq́; ciuitates reuertiſſe. nam de Ioſia qui poſt abductas decem tri- 4.Reg.23 bus fuit, legimus, cùm euerteret excelſum quod Ieroboam filius Nabat extruxerat, & de ſepulchris quæ erant in monte, oſſa mortuorum effoderet, cumq́; titulum in ſepulchro Prophetæ illius qui de Iuda venerat, & illam excelſorum euerſionem prædixerat, animaduertiſſet, admonitum à Bethel ciuibus, quæ ciuitas ad Samariam pertinebat,

intactum ſepulchrum illud reliquiſſe. qua de re niſi ab Iſraelitis qui factum ſciebant, remque memoria retinebát, admoneri non potuit. Sed quid opus eſt ad id comprobandum argumentis, cùm locus ſit in 2. Paralip. cap. 30. apertiſſimus, etiam ſi colluuione variarum gentium plena eſſet Samaria & eius vrbes, multos tamẽ Iſraelitas vel timore diſperſos eò reuertiſſe, vel de captiuitate rediiſſe, vel etiã victoris Aſſyrij beneficio remanſiſſe? Ezechias enim poſt captas decẽ tribus vixit, de quo ſic ſcriptũ eſt in eo loco quem citauimus, *Miſit quoque Ezechias ad omnem Iſrael & Iudã, ſcripſitq́; epiſtolas ad Ephraim, & Manaſſen, vt venirent ad domum Domini in Ieruſalem, & facerent Phaſe Domino Deo Iſrael, illis ſubſannantibus & irridentibus pij Regis conſiliũ*, niſi quòd viri quidam ex Aſer & Manaſſe & Zabulon acquieſcentes Regis conſilio venerunt in Ieruſalem. Hoc igitur agmen, hanc aciem ſeu collectionẽ Ephraim, & decem tribuum, numquam ex quo ſemel à Iudæ regno ſciſſa eſt, illi rurſus vnitam legimus, neq. hæc duo ſceptra vmquam in vnius hominis de familia Dauid manu coniuncta cõmuni imperio recta fuiſſe, immo verò maximè diſſenſiſſe notiſſimum eſt, adeoque commercia vtraque gens alterius vitaſſe, vt illa Samaritana de Euangelio mulier dixerit, non couti Iudæos Samaritanis, & apud Iudæos Samaritanorum nomen in blaſ-

blaſphemiam verſum eſſet. Hæc diſcordia, hocq; diſſidium vſque ad Chriſtum Dominum noſtrũ durauit, qui cùm & ipſe coram Samaritanis prædicaſſet, & eos poſt reſurrectionem ſuam per diſcipulos ſuos ad fidem aduocaſſet, duobus ſceptris Iudę & Ephraim potitus eſt. nam commota propter verbum perſecutione ſæuiſſima, lapidatoq; Stephano, cùm multi ex diſcipulis diſperſi per ciuitates Samariæ verbum Dei diſſeminarent, & præcipuè Philippus regiam ipſam vrbem Chriſti fidei ſubieciſſet, audita re ab Apoſtolis qui erant Hieroſolymis, miſſi ab eis ſunt Petrus & Ioannes, qui baptizatos à Philippo manibus impoſitis Spiritus ſancti participes fecerunt. Ea re tamquam aditus quidam ad gentium cõuerſionem aperiebatur. nam ſapientiſſimo conſilio prouidit Deus, vt cùm Euangeliũ ex Iudææ finibus in omnes gentes proferendum eſſet, & omnes homines ad Chriſti ouile colligendi, priùs Samaritanorum populi qui de gẽtibus & Iſraelitis miſti erant, fidem reciperent, vt ne Iudæi ſi ſtatim à principio Gẽtilibus prædicatio patuiſſet, offenderentur, ſed in Samaritanis priùs èmolliti, leuiùs ferrent, poſtea cum gentibus coniungerentur. erat enim illa natio difficilis, & ad aliarum gentium communicationem ac ſocietatem ægerrimè deſcendebat, ſuiſque legibus tamquam ſepto quodam ab aliis gentibus diſiuncta ſeſe continebat. hũc

autem medium parietem maceriæ ſoluit Chriſtus, & in ſuum ouile non Iudæos modò, ſed etiam ex Ephraim regno Samaritanos congregauit, & cum Samaritanis etiam Gentiles collegit. quo facto ſe verum paſtorem oſtendit & verum Dauid, de quo dixerat Deus ad Ezechiel, *Et ſeruus meus Dauid Rex ſuper eos, & paſtor vnus erit omniũ eorum.* Dicant autem Iudæi quando vaticiniũ hoc impletum ſit, aut quando implendum ſperent, ſi non Chriſti tempore perfectum eſt? niſi fortaſſe nobis fabulas ſuas narrare velint, & futurum ſibi fingant venturi ſui Chriſti regnum, quod nonniſi ab inſanis hominibus fingi poteſt. Hoc ergo maximum ſacramentum in ſua interpretatione LXX. nobis tradiderunt, fore vt *in medio duorũ animalium*, hoc eſt, duorum agminum, duarumq́; congregationum ac populorum, Iudæorũ nempe, & decem tribuum quæ ſub Ephraim regnum conceſſerant, Chriſtus agnoſceretur; qui tamquam verus Dauid vtrumque populum regeret, ac tamquam verus paſtor non de Iudæis tantùm oues ſuas, ſed etiam de Samaritanis & per Samaritanos etiam de gentibus colligeret, & in vnum ouile ſub vnius paſtoris manu coniungeret.

LXX. *Cùm appropinquauerint anni cognoſceris, cùm aduenerit tempus, oſtenderis.*

Duæ ſunt eiuſdem ſententiæ interpretationes. cùm aduenerint anni, tempus nimirum

rum

rum illud de quo ſuperiùs in tuo oraculo dixiſti, *Adhuc viſio in tempus, & apparebit in finem, & non in vanum*, tunc cognoſceris quàm verax fueris, & oſtenderis quàm ſis in tuis promiſſis fidelis.

Cùm conturbata fuerit anima mea in ira miſericordia recordaberis.

Et hoc loco duæ iunctæ ſunt eiuſdem Hebræi verbi trāſlationes, ἐν τῷ ταραχθῆναι, dū conturbata fuerit, & ἐν ὀργῇ, in ira, cùm ſit in Hebræo ſolùm ברגז. puto autem addidiſſe Lxx. anima mea, vt clariorem facerent ſenſum. non enim de Deo hoc verbum רגז dici in Scriptura ſolet, & trepidationem ac terrorem, & moleſtiam ſonat, qualis eſſe eorum qui improuiſo aliquo malo opprimuntur. Ergo cùm in his malis verſor & ærumnis afficior, cùm captiuus detineor à Chaldæis, & idola colentibus Dominis ſeruio, miſericordiæ tuæ aut fœderis cū patribus initi recordaberis. Auguſtinus aliter, ſed in eo non diſſimiliter, quòd in perſona populi Iudaici hoc dici putauit, qui cùm ex magna ira turbati crucifigerent Chriſtū, ille miſericordiæ memor dixerit, *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt*. quod idem ferè Euſebius in 6. de Demonſtrat. Euangelica dixit.

Deus ab Auſtro veniet, & Sanctus de monte Pharan. Sela. operuit cælos gloria eius, & laudis eius plena eſt terra.

Cùm hucuſque quaſi procœmio quodam

erexerit lectorem, & magnæ cuiuſdam rei expectatione ſuſpenderit,quę cùm ſuo tempore geſta erit, tum cognoſcendus ſit Deus, & eius potentia declaranda,iam quænam res illa ſit orditur exponere. Hebræus quidam, B. Hieronymo teſte, vt ego ſuſpicor ex iis qui in Chriſtum crediderant Nazaræis, hũc locum ita diſſeruit: Quòd Bethlehem ſita ſit ad auſtrum in qua natus eſt Dominus atque Saluator; & ipſum eſſe de quo nunc dicatur, *Deus ab auſtro veniet*, hoc eſt, naſcetur in Bethlehem, & inde conſurget. Et quia ipſe qui natus eſt in Bethlehem, legem quõdam dedit in monte Sinai,ipſe eſt Sanctus,qui venit de mõte Pharan. Pharan quippe vicinus eſt locus mõti Sina.& quod infertur,*diapſalma*,id eſt,*ſemper*, habere ſenſum, Ipſe qui natus eſt in Bethlehem,& qui in Sina,id eſt, in monte Pharan legẽ dedit, ſemper in vniuerſis beneficiis,præteritis, & præſentibus & futuris auctor eſt & largitor. Hác expoſitionem antiquiſſimá, &, vt opinor, ab ipſo Eccleſiæ exordio natam,etiam Irenęus probat, & ſequitur libro aduerſus Hæreſes 3. cap. 23. Quoniam,inquit,ex ea parte quæ eſt ſecundùm Africum hæreditatis Iudæ veniet Filius Dei, qui Deus eſt, exquirat & Bethlehẽ vbi natus eſt Dominus,in omnem terram emittet laudationes eius, ſicut ait Abacuc Propheta, *Deus in Africo veniet,& Sanctus de monte Efrem, cooperuit cælum virtus eius, & lauda-*

laudatione eius plena eſt terra. ante faciem eius præibit verbum, & progredientur in campis pedes eius. Manifeſtè ſignificās quoniam Deus, & quoniam in Bethlehem aduentus eius, & ex monte Efrem, qui eſt ſecundùm Africum hæreditatis, & quoniam homo. Progredientur enim, inquit, in campis pedes eius: hoc autem ſignum proprium hominis. Auctor etiam libri de Trinitate hoc idem aſſerit, Bethlehem ad meridianam cæli plagam reſpicere. Non diſſimiliter explicat Theodoritus, incarnationem Dei verbi in hoc loco prædici, & ortum in Bethlehem, quæ Ieruſalem ſit à meridie. quod idem affirmat beatus Hieronymus in libro de locis Hebraicis. B. Auguſtinus contra Fauſtum Manichæum libro 16. paulò aliter exponit. *Deus*, inquit, *ex Africo veniet, & Sanctus de monte Pharan*, tamquam ſi diceret: Eius nominis veniet Deus ſanctus cuius nominis erat ille qui venit ab Africo de Faran, id eſt, IESVS. nam cùm antea Hoſee vocaretur, cùm ex cōualle Faran ad terrā explorandam mittendus erat, à Moſe mutato nomine appellatus eſt Ieſus, vel, quod idem eſt, Ioſue. Aliter idem Auctor lib. 18. de Ciuitate Dei. *Deus ab Auſtro*, ſeu ab Africo veniet, hoc eſt, à meridie, id eſt, à feruore caritatis, & ſplendore veritatis. Sed hæc expoſitio ad allegoriam pertinet, quæ Heſychio quòque placuit. Ab Auſtro, inquit, vtpote ex lumine; ſicut contrà Diabolus ab aqui-

aquilone, vtpote ex tenebris. Auſtrum verò quia Lxx. Hebraico nomine appellarunt Themá, putauit Euſebius idē eſſe Theman, quod conſummationē, ac ſenſum eſſe, Deus in cōſummatione ſæculi nimirum, & extremo tempore veniet, vt Apoſtolus dixit, *nouiſsimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio*, ſed prodidit in his verbis ſe non ſatis Hebraicarum litterarum peritum, nam Thumma ſignificat conſummationem, Theman verò meridiem, aut dextrum mundi latus. Iam commemoratis tantorum virorum de hoc verſu ſententiis, exponenda eſt ea quæ ſimplicē litteræ ſenſum maximę videtur attingere. Venturum igitur eſſe Deum prædicit, qui populum ſuum redimat, ne diutiùs impiis & à Dei cognitione alienis Regibus ſeruiant; & in hoc aduentu prodigia illa & portenta editurum, quæ olim fecit cùm illum à violenta Ægyptiorum potentia liberauit, & in terram quam promiſerat induxit, & in illa iam poſitū ab impetu hoſtium incurſantium tutatus eſt; ſed hæc omnia non ordine commemorat quo geſta ſunt, ſed quo ſpiritus inſtinctu ad commemorandum permouetur. Itaque primùm omnium illud narrat, quòd in montem Sina deſcendit vt legē daret. id ita eſſe ex eo cōprobatur, quòd iiſdem
Deu.33. ferè verbis vtitur Moyſes in Deuteronomio cùm ſine dubio de deſcenſu Dei in Sina loqueretur, *Dominus*, inquit, *de Sina veniet, &*
de

de Seir ortus eſt nobis: apparuit de mõte Pharan, & cum eo ſanctorũ millia: in dextera eius ignea lex. Dilexit populos, omnes ſancti in manu illius ſunt: & qui appropinquant pedibus eius accipiẽt de doctrina illius. nam quod ibi eſt, *de Seir ortus eſt nobis*, hoc Propheta dicit, *Deus ab auſtro*, ſeu, *de Theman veniet*: nam Seir & Theman eadem eſt regio. quod verò ſequitur, *apparuit de monte Pharan*, iiſdem ferè verbis dictum eſt à Propheta, *& Sanctus de monte Pharan.* Quibus in verbis latenter ſignificauit non ſine gloria venturum in carne Chriſtum Dominum, ſed iterum cum ſplendore & claritate tamquam legiſlatorem affuturum, vt cùm olim de Sina, & de monte Tharan venit ad Iſraelitas vt legem ferret. Vicini etiam ſunt hi duo montes, aut potiùs cõiuncti Seir & Pharan, vt apparet ex loco Geneſ. c. 14. à Codorlahomor, & Regibus qui erant cum eo percuſſos fuiſſe Chorrhæos qui erãt in montibus Seir, vſque ad Campeſtria Pharan quę eſt in ſolitudine. Ab auſtro autem vt Theodotio tranſtulit, ſeu à Theman vt LXX. & ceteri interpretes, veniet Dominus, tamquam ſidus quoddam ſplendidiſſimũ & fulgentiſſimum, vt ſol cùm oriens è montibus emicat, & gratiùs fulget. itaque in eo Deuteronomij loco quem citauimus, ſcriptum eſt, *De Seir ortus eſt nobis, apparuit de monte Faran*: iterum, inquit, ſuam illam gloriam in nobis redimendis oſtendet, quam olim in

monte

monte Sina & Faran demonſtrauit, cùm ad nos liberandos docendoſque deſcendit.

Operuit cælos gloria eius, & laudis eius plena eſt terra.

Quo tempore cum tanto ſplendore gloriæ ſuæ venit, vt cælum quoque ipſum ille ſplendor operiret, & terram lumine compleret. ita vt cælum ſimul & terra gloria eius repleretur. nam verbum תהלתו quod Latinus vertit, laudem, volunt Hebræi ſignificare etiam fulgorem. Ceterùm obſeruandũ eſt & hoc loco Abacuc, & in Deuteronomio Moyſen duorum horum locorũ non temerè mentionẽ feciſſe, Theman, ſeu Auſtri, qui idem eſt ac Seir & Pharan. Sed, vt ſuſpicor, eo conſilio, vt populum Iſrael ad ardentiorem Dei amorem facibus quibuſdam diuinorum beneficiorũ admotis excitarent. Beneficium porrò ſummum fuit, & indiciũ diuinæ in eos voluntatis, quòd illi populo ſoli hoc præſtitit vt in Sina deſcenderet, & leges diceret, iis qui ab Eſau & ab Iſmaele genus ducebant, quamuis ſimiliter atque ipſi de Abrahæ ſtirpe deſcenderent, abiectis atq. relictis. Nam per Seir ſeu Theman Idumæos obliquè ſignificauit, per Pharan Iſmaelitas: in ea namque regione conſedit Iſmael, vt eſt in Geneſi cap. 21. Dicendum eſt etiam aliquid de interpretatione LXX. apud quos hic verſus ſic legitur, *Deus à Theman*, ſeu vt Theodotion dixit, *ab Africo*, ſeu vt in Latinis non-

nonnullis exemplaribus eſt, *à Libano*, veniet. quod mendoſum eſt & corrigendum. non enim à Libano venit Deus cùm legem dedit, aut cùm deſcendit vt populum ſuum induceret in terram Chananæorum, ſed potiùs in Libanum. Legendum eſt igitur omnino à Lybico veniet, vt ſolent Lxx. Theman ſæpe vertere Lyba. nã, Theodorito teſte, nonnulli ἀπὸ νότου, aliqui ἀπὸ λιβὸς tranſtulerũt etiam in hoc loco. aut fortaſſe interpres Latinus vtrumque coniunxit, & dixit, à Lybonoto, ex quo poſteà factum eſt, à Libano. *Et Sanctus de monte vmbroſo & condenſo.* ſic habet Lxx. interpretatio Latina, quam beatus Hieronymus poſuit; ſic Euſebius in eo quem ſuprà diximus libro: ſic Theodoritus legit, ſic Latinæ interpretationis Romanæ reliquiæ, quæ in Eccleſiaſticis officiis remanſerunt, habẽt, vt in die Paraſceues ad tractum legitur: ſic etiam in Romano Pſalterio inuenitur. Auguſtinus quoque decimo octauo libro de Ciuitate Dei, dictionis Pharan non meminit, vt quæ in Lxx. interpretatione nõ haberetur; cùm pro Pharan interpretationem eius poſuerint, *de monte vmbroſo & condenſo.* ad quem modũ etiam in libro de Trinitate, quiſquis illius auctor fuerit, legitur. Impreſſi etiam codd. Græci nec ipſi habent Pharan, ſed ſolùm, ἐξ ὄρους κατασκίου δασέος. ſolus Irenæus Effrem ponit, relicta interpretatione Pharan: & Sanctus, inquit, de monte

Effrem.

Effrem. Verùm vt multis in locis accidit; plures in quibuſdam codd. editiones confuſæ ſunt, nam cùm Lxx. pro Pharan illius interpretationem poſuiſſent, in Vaticano Codice ex aliis editionibus aſcita eſt vox Pharan, & factũ ἐξ ὄρους Φαρὰν κατασκίου δασέως. quam lectionem ſequitur in ſuis commentariis Cyrillus. Ceterùm non memini me legiſſe in Lxx. pro Pharan poſitam interpretationem eius nominis, niſi in hoc ſolùm loco. ſemper enim Φαρὰν poſuerunt: quod non ſine conſilio factum puto, vt non diuerſa loca, ſed eumdem locum intellexiſſe videantur Theman & Pharã. Ac Theman quidem latus & plagam auſtralem putaſſe, Pharan verò conditionem eius loci vnde venerit; quòd nempe arboribus eſſet conſitus & vmbroſus. nam פארה ramum quoque ſignificat, vnde locum ramis arborum tectum dixerunt κατάσκιον & δασὺν: quamuis eiuſdem Hebraici verbi duas eſſe ſimul poſitas interpretationes puté, vmbroſum & condenſum. Hunc montem vmbroſum & condenſum aliqui per allegoriam Paradiſum intelligũt, Angelorum frequentia tamquam virẽtibus arboribus conſitum, aut Hieruſalem cæleſtem, quæ vt in Pſalmo 48. legitur in monte εὐρίζῳ, vel, vt alij tranſtulerunt εὐκλάδῳ fundata eſt. Alij Scripturarum diuinarum altitudinem, quibus prophetatus eſt Chriſtus. Nonnulli mõtem vmbroſum Beatam Mariam

Hier. Euſeb. Theodoritus.

Aug. de Ciuit. Dei lib. 18.

riam ſemper Virginem accipiunt, qui mihi, ſi allegoricè placeát exponere, optimè intellexiſſe videntur: nam montis nomine parentes indicari non eſt alienum à conſuetudine Scripturarum, vt mox docebimus. & montem vmbroſum & arboribus plenũ beatam Mariam appellauit, quia virtutibus ornata erat, aut quià carnis vmbraculo lucem illam veram contexit. itaque non alienum erit ſi dicamus, Chriſtum quod ad ſublimiorem naturam verbi ab auſtro, & ex lumine Patris & calore diuinitátis veniſſe, eũdem de monte vmbroſo & condenſo extitiſſe qua natus de Virgine corpus geſtauit, & factus homo lumen illud inacceſſum ad noſtram aciem temperauit. Quod autem dixi, nonnũquam in Scripturis montem pro parentibus accipi, legimus in Geneſi cap. 49. cùm Iacob Ioſeph filio benediceret, inter cetera dixiſſe, *Benedictiones patris tui confortatæ ſunt benedictionibus patrum eius.* at eumdem locum Lxx. ſic tranſtulerunt, *Benedictiones patris tui ſuperauerunt benedictionem montium ſtabilium.* videlicet pro patribus montes ſtabiles poſuerunt. & in Pſalmo 29. quod eſt apud Lxx. *Domine in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem*, Aquila vertit, *præſtitiſti monti meo virtutem*, Symmachus verò, *præſtitiſti progenitori meo virtutem.* Commodè igitur pro monte vmbroſo ipſa Beata Chriſti Dei noſtri Matèr intélligi poteſt. Sed ſi ſimplicem

litteram ſequamur, ille ſenſus erit quem ſuperiùs attulimus, Iterum Deus veniet non minore cum gloriæ & potentiæ ſuæ ſignificatione, quàm cùm in Sina montem ab Auſtro & de monte Pharan deſcendit vt legem Iſraelitis daret, & eos ſibi in populũ adoptaret. *Operuit cælos virtus eius*; hoc eſt, pulchritudo ac ſplendor & decor eius. Solent enim LXX. pulchritudinem & venuſtatem ἀρετὴν dicere, quod ſit quaſi ἀρεςὴ, quia placeat & oblectet. Vnde & inſigne regium quod in capite Regis deceat, & ſplendorem decoremque conciliet, ſic appellauerũt etiam in Zacharia cap. 6. *Ecce vir, Oriens nomen eius*, & paulo pòſt, *Et ipſe ſumet virtutem, & ſedebit, & imperabit in ſolio ſuo*: vbi B. Hieronymus; vertit, *& ipſe portabit gloriam*. ſic igitur tamquam fulgentiſſimum & lucidiſſimum ſidus exortus eſt, cùm ab Auſtro veniens de ſplendore ſummo, inter condenſa & vmbroſa ſubitò radios ſuæ lucis immiſit; adeò vt & cælos decor eius ſeu ſplendor operiret, & terram impleret. Admirabiliter autem & cum emphaſi quadam dictũ eſt, operuit, non enim ſplendor & lux operire ſolet, ſed potiùs operta detegere. Voluit ergo excellentiam ſplendoris hac figura ſignificare, ac tantum lucis attuliſſe Deum venientem, vt etiam ſolis & aſtrorum lucem operiret ac tegeret. maior enim lux minorem obſcurauit & abſorbuit. quam claritatem ac virtutem

tem ſeu gloriam nonnulli ad miraculorum & prodigiorum ſplendorem referunt. Quid autem obſtat quo minus dicamus, Deum cùm ab auſtro venit, & carne contectus apparuit, gloria operuiſſe cælos, cùm exercitus Angelorum gloriam Deo in excelſis cecinerit; & laude eius plenam fuiſſe terram, quando & paſtores, & Magi ad eum adorandum venerint, & Ieruſalem tota commota ſit?

Splendor eius vt lux erit, cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius.

Splendor eius vt lux erit, ſplendorem Patris eſſe Dei Filium Apoſtolus aſſerit, in epiſtola quam ad Hebræos dedit. hunc poſteaquam nobis per vmbraculũ carnis emicuit, rurſus ad paternæ gloriæ lucem ſe recepiſſe, & ea claritate clarificatum eſſe, quam priùs apud Patrem habuerat antequam mundus fieret, in Euangelio legimus; hoc eſt igitur quod ait, *Splendor eius vt lux erit.* Plerique ad prædicationis doctrinæq; lucem ſplendorem hunc referunt, quo ſplendore orbẽ terrarum in ignorantiæ tenebris agentem illuſtrauit. quamuis poſſit etiam ad illius ſplendoris commemorationem referri, quo eum fulſiſſe Exodi c. 24. legimus, cùm in Sina monte ſtetit legem daturus, & ſplendor gloriæ Domini ſicut ignis ardens in cacumine montis. Non diſſimilem igitur illum etiam fore ſplendorem dicit, cùm ad redemtionem populi ſui veniet, & carne indutus hominũ

Heb. 1.

Ioan. 17.
Euſeb.
Theodor.
Auguſt.

oculis viſibilis apparebit Splendor autẽ non ipſa lux eſt, ſed è luce fulgor emicans. itaque præclarè hunc locũ explicat Heſychius φέγγος αὐτοῦ inquit; τὸ τῆς σαρκὸς, ὡς φῶς ἔσαι, ὡς τὸ τῆς θεότητος. ἐν τῇ σαρκὶ γὰρ ἡ θεότης ἐξέλαμψεν. Splendor eius ille carnis nimirum; vt lux erit, vt ille ſplendor diuinitatis, in carne namque diuinitas effulſit. Sed quia diximus in his verbis Prophetam illa Moyſi verba quodammodo explicare, aut iiſdem pænè verbis vti quæ ſunt in Deuteronom c. 33. poſſumus ſplendorem Dei qui vt lux erit, & cornua item de manibus micantia Angelos intelligere. nam etiá LXX. illa verba Moyſi, *Cum eo ſanctorum millia, in dextera eius ignea lex*, quibus hæc Prophetę verba per ordinem reſpondent, de Angelis acceperunt. itaque verterunt, *& properauit de monte Pharan, cum myriadibus cades, ex dexteris eius angeli cum eo.* de qua re etiam Pſalmus 66. agit. *Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium, Dominus in eis in Sina in ſancto.* Splendor ergo eius, quæ lux eſt non eſſentialis, ſed ex luce prodiens quales Angeli ſunt; quos Gregorius Theologus ea de cauſa ſecunda lumina vocat. Eiuſmodi inquam ſplẽdor adeò magnus erat, vt lucem ſolis æquaret; cornua item de manu eius ac de lateribus erant, nempe radij illi Angelorum circumquaque micantes, & ex vtroque latere tamquam Regem ſtipantes aderát. quibus *abſcondita eſt fortitudo eius.*

VE-

vt de Seraphim dicit Eſaias, texiſſe illa vultum Dei, quòd ſcilicet eius cognitio mortali naturę conceſſa non ſit. Hoc ergo ſplendore angelico tanquam tegumento fons ille luminis & Dei facies tegebatur.

Cornua in manibus eius.

Cornua, inquit B. Hieronymus, pro regnis poni in Scriptura ſolét. vnde eſt illud in Annæ Cantico, *Et exaltauit cornu Chriſti ſui*, & in Daniele, decem cornua, decem regna demonſtrant. igitur in manibus eius vel in manu eius omnia ſunt regna, & data eſt illi poteſtas in cælo & in terra. Præclarè etiam Euſebius dixit, cornua in manibus eius, inſignia eſſe regni illius atque potentiæ, quibus cornibus inuiſibiles & aduerſarias poteſtates propellit & ventilat. cui vicinum illud eſt Theodoreti, poſt ſplendorem prædicationis & doctrinæ per quam lucem & veritatem ſuam emiſit, potentiam quoque eius adiungi, quam in miraculis faciendis oſtendit. Sed illa B. Cypriani expoſitio & antiquitate venerabilis eſt, & auctoritate vincit alias: quam quia nō modò Latini Doctores Auguſtinus & Hieronymus, verùm etiam Græci ſecuti ſunt, ex Apoſtolorum & Apoſtolicorum virorū traditione manaſſe non dubito. is enim Auctor 2. libro teſtimoniorū ad Quirinum ſcribens, his verbis propheticis confirmat ſuam illā ſententiam, quòd in paſſione crucis & ſigno, virtus omnis ſit & poteſtas. Cornua

B. Hier. 1. Reg. 2.
Daniel. 7
Euſeb. lib. de Dem. Euang. 6.
Theodoret
Aug. 18. de ciu. Dei
Hier. epiſ ad B. Paulinum.
Cyprianus lib. 2. aduerſ. Iud. num. 10.

nua ergo in manibus ſi veſtigia eius expoſitionis perſequamur, crucem deſcribunt, in quibus cornibus, vt ſubiungit Propheta, *conſtabilita eſt virtus gloriæ eius.* Auguſtinus tanti magiſtri ſententiã ſecutus, *Cornua*, inquit, *in manibus eius*, quid eſt, niſi trophæum crucis? Hieronymi porrò verba ex epiſtola ad B. Paulinũ hæc ſunt: Habacuc luctator fortis & rigidus, ſtat ſuper cuſtodiam ſuam, & figit gradum ſuper munitionem, vt Chriſtum in cruce contempletur, & dicat; *Operuit cælos gloria eius, & laudis eius plena eſt terra. Splendor eius vt lux erit: cornua in manibus eius: ibi abſcondita eſt fortitudo eius.* Adiiciamus etiam aliquid, quod ſine præiudicio eorum quæ ab his Patribus allata ſunt, dictũ velim. Cornua hoc loco in Hebræo textu duali numero leguntur, & per ea ſplendor ſignificatur ac radij quales de ſplendido aliquo corpore micare videntur. itaque de Moyſi facie legimus eiuſmodi cornua refulſiſſe, quam LXX. glorificatam fuiſſe tranſtulerunt: Hebraica verò lectio quia ſic habet, *cornua de manu illius ipſi*, tranſuerſos egit Hebræorum Doctores, vt alij putarent ſplendorẽ de manu Dei in faciem Moyſi deriuatum fuiſſe: & quod ſequitur, *ibi abſcondita eſt fortitudo eius*, item de Moyſe intelligerent, quòd ſteterit in monte nube coopertus, & quadraginta dies & noctes ſine cibo ac potu tranſegerit. Alij cornua tabulas legis interpretarentur,

rentur, quæ de manu Dei tradita ſunt Moyſi. Sed reluctatur his expoſitionibus textus, neque enim vlla Moyſi mentio facta eſt, vt ad eius perſonam commodè referri poſſint hæc verba, *Cornua de manibus illius ipſi*. & cõuenientiùs accipitur, cornua de manibus illius, nempe Dei, ipſi eidem Deo fuiſſe ac refulſiſſe. Tertiam quoque expoſitionem afferam, quam optimam cenſeo. dixerat, ſplendorem eius, Dei nempe, vt lucem fore, vt in mõte Sinai olim apparuit, cùm ſpecies ignis oculis filiorum Iſraël obiecta, conſumere montem videretur. nam ſplendor ille Dei ita purus erat & efficax, vt lux iſta ſolis, quam humana acies propter eius candorẽ pati non poteſt: itaque cùm illum ſplendorem videre non poſſent Iſraelitæ, cornua ex manu illius, hoc eſt, ex latere procedebant, & fulgor quidam inde emicabat, ibique abſcondita erat fortitudo eius: lux illa nimirum pura & excellens, neque à filiis Iſraël conſpici poterat, vt in ſolis luce ſolet accidere; cuius radios cùm videamus, in fontẽ ipſum luminis oculos figere minimè poſſumus. aut ſic, Cùm ſplendor tantus eſſet qui ex illo emicabat, vt lucem æquaret, & nihil ab ſolis ipſius orbe differret, cùm cornua & radij fulgentiſſimi ex lateribus illius vibrarentur, ipſe tamen Deus poſuit latibulum virtutis ſuæ, & ſuam potentiam videntium aſpectui temperauit. Itaque ſi rei de qua agitur, nempe Chriſti ad-

uentui congruere ſimilitudinem oſtendere velimus, lux ille vera eſt, & humanis oculis inacceſſa, quam quia pro ſua natura conſpicere non poteramus, temperauit ſe noſtris viribus,& fortitudinem ſuam opacitate quadam corporis abſcondit, vt ſaltem velut ex radiis quibuſdam ſolem,ſic ex humanis operibus Deũ intueri & intelligere aliquo modo poſſemus. Sunt qui ſplendorem colũnam ignis intelligant, fortitudinem eo ſplendore abſconditam, arcam, quæ fortitudo appelletur, vt in Pſalmo 131. appellata eſt, *Surge Domine in requiem tuam tu & arca ſanctificationis tuæ*: ibi namque in Hebræo eſt, fortitudinis tuæ. B. verò Cyprianus libro ſuprà dicto ſententiam Prophetæ ſic protulit. *Cornua in manibus eius erunt, illic conſtabilita eſt virtus gloriæ eius, & conſtituet dilectionem validam, & procedet in campos ſecundùm greſſus ſuos*, miſtis videlicet duabus interpretationibus. nam, *Illic conſtabilita eſt virtus gloriæ eius*, & *Conſtituet dilectionem validam*, duæ ſunt verſiones eorumdem Hebraicorum verborum, licet illa prior ex diuerſo Hebræo fluxerit, nam pro תכוין videtur ille interpres legiſſe מכן, vel aliquid ſimile à verbo כון quod eſt *στηρίξαι*. quod cùm neque Auguſtinus habeat, neque Euſebius, neque Theodoritus, habet tamen editio Romana, quæ ſic legit, *Ibi confirmata eſt virtus gloriæ eius, & poſuit caritatem firmam fortitudinis ſuæ.* Qui igitur tranſtulit,

Cypr. aduerſ. Iud li. 2. c. 20

tulit, *Illic conſtabilita eſt virtus eius* (nam illa verba *gloriæ eius*, ex altera quadam interpretatione fluxerunt, & ſimul confuſa ſunt) hoc modo intellexiſſe videtur, illic in cornibus quæ manu complectitur, velut in armis quibuſdam firmata eſt ac ſtabilita virtus eius, & potentia per quã inimicos ventilabit ac ſternet. Altera verò lectio, *Et poſuit caritatem firmam fortitudinis ſuæ*, quia eſt in omnibus libris, & apud omnes Eccleſiaſticos tractatores inuenitur, ſine expoſitione prætereunda non eſt. Videntur itaque mihi Lxx. præclarè hunc locum intellexiſſe, & quia, vt ſuperiùs diximus, Abacuc ad locum Deuteronomij cap. 33. reſpexit, in quo Moyſes deſcenſum Dei in Sina commemorauit illis verbis, *Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus eſt nobis, apparuit de monte Pharan, & cũ eo ſanctorum millia, in dextera eius ignea lex*, deinde ſubiunxit, *Dilexit populos*, ideo cùm cetera circumſcripſiſſet Propheta, hanc partem, *Dilexit populos*, his verbis quodammodo explicauit, *poſuit caritatem firmam fortitudinis ſuæ*, hoc eſt, propter vehementiſſimam dilectionem, qua populum ſuum dilexit, idcirco ſe illis in ea gloria demonſtrauit. Quod ſi ad aduentũ Domini noſtri transferamus, nihil verius dici poteſt, quàm eum, cùm in terris apparuit, & noſtri ſimilis factus eſt, poſuiſſe caritatem firmã ſeu fortitudinis ſuæ. nam quæ firmior aut fortior caritas aut fuit vmquam, aut ex-

cogitari poſſit, quàm illa propter quam ſe-
ipſum pro nobis tradidit,& in ſimilitudinem
carnis peccati demiſit? qui ſenſus etiam illis
fauet maximè qui cornua in manibus Dei in
figura crucis accipiunt, maiorem enim hac
dilectioné nemo habet, vt ipſe Saluator ait,
quàm vt pro amicis ſuis animam ponat. Nē-
que verò contrarium eſt quod Lxx. in Deu-
teronomio dixerunt, κ) ἐφείσατο τοῦ λαοῦ αὐ-
τοῦ, pepercit populo ſuo, hic verò, *poſuit cari-
tatem firmam.* nam vt parceret populo, & il-
los qui viderant gloriam ſuam, interire non
ſineret, id ex caritate fuit, qua populū ſuum
dilexit: quem enim diligimus, illi parcimus;
ſic namque ſcriptum eſt in Exodo de iis qui
viderant Deum Iſrael, *Nec ſuper eos qui pro-
cul receſſerant de filiis Iſrael miſit manū ſuam.*

*Ante faciem eius ibit mors, egredietur dia-
bolus ante pedes eius.*

Multum in hoc verſu differt Lxx. inter-
pretum tranſlatio. ideoque propriam expo-
ſitionem exigit, quam paulo pòſt ſubiiciam.
interim B. Hieronymus hunc locum ex Na-
zaræorum ſententia ſic explicat. Quia pro-
ximè de aduentu Domini prophetauerat,
nunc adiungit illius cum diabolo cōflictum.
nam poſteaquam fuerit, inquit, baptizatus,
& ad columbæ deſcenſum vox Patris into-
nuerit, Hic eſt Filius meus dilectus in quo
mihi complacui, exeunti de aquis occurret
diabolus, & ante pedes illius ſtabit mors, &
colu-

coluber antiquus, qui quadraginta diebus tentauit eum in ſolitudine. Ceterum in hoc loco nullam oppoſitionem verborũ ſaltem ab Hebræis tamquam linguæ ſuæ peritioribus animaduerſam demiror, nam eſſe in his verbis luculenter & in Hebraico, & in Lxx. apparet: quamuis in noſtro textu non ſatis appareat. Eſt autem inter hæc oppoſitio, ante faciẽ ibit, & ad pedes egredietur. hoc eſt, mors præibit, & ſequetur diabolus. Hũc itaque ſenſum eſſe in his verbis puto. Commemoratur enim illa Chananæorum expulſio per mortis Angelum facta, cuius vi gentes infeſtæ terrore concuſſæ ſunt, & qui ex pugna euaſerant, morbis & aliis caſibus interierunt; de qua re legimus in Exodo cap. 33. *Mittam præcurſorem tui Angelum vt eiiciat Chananæum*, & eiuſdem libri cap. 23. *Terrorem meum mittam in præcurſum tuum, & occidam omnem populum ad quem ingredieris, cunctorumq́; inimicorum tuorũ coram te terga vertam, emittens crabrones prius, qui fugabũt Hæuæum & Chananæum & Hethæum antequam introeas.* & in libro Sapientiæ cap. 12. in Dei laudem ſcriptũ eſt, *Miſiſti anteceſſores exercitus tui veſpas, vt illos paulatim exterminarẽt.* quibus in verbis illud de Deuteronomio explicatum eſt, *Inſuper & crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos donec deleat omnes.* Deut.7. crabrones enim non alios accipimus quàm Angelos exterminatores, quorum miniſterio eiuſ-

eiuſmodi pernicies ac terror morbiq́ue & mortes Chananæis inferebâtur. Hoc eſt igitur, *ante faciem eius ibit mors.* Semper autem adiungendum eſt illud, ſicut hæc potentiæ ſuæ dedit indicia Deus, cùm liberaret populum ſuum, & in terram promiſſionis induceret, ad eumdem modum eſſe facturũ, cùm denuò populum ſuum & ſibi credentem de impiorum dominatu redemturus aduenict. quod iam factũ videmus. Exterminati namque ſunt idolorum cultores, & impietas penitus ex terrarum orbe ſublata. Illud verò quod ſequitur, *Egredietur diabolus ante pedes eius*, ſi nulla in verbis oppoſitio intelligatur, vel de eadem illorum populorum deuaſtatione miniſterio nocentium Angelorum facta accipiendum erit, vel quod verè diabolus qui gentibus illis per impietatem & idolorum culturâ dominabatur populo Iſraël adueniente per Dei virtuté expulſus ſit, & ſub Dei pedibus proculcatus, quod per Chriſti Dei & Domini noſtri aduentum, & quidem multo pleniùs faciendũ eſſe prædicitur, per quem ille fortis armatus de orbe terrarum, quem poſſidebat, eijciendus eſſet; ac de ſuis latebris extractus, à mulieris ſemine conterendus atque conculcandus: neque parum aptè per nomen Hebræum Reſeph, Diabolus intelligitur; nam ſiue illa nominis origo vera ſit, quam ex Nazaræorũ opinione beatus Hieronymus affert, ex eo dici Reſeph,
quòd

quòd ventre per terram reptet, diabolus certè poſt primum hominem deceptũ, hac ſententia in ſerpente damnatus eſt, vt ſuper pectus graderetur: ſiue, vt alij tranſtulerunt, ὄρνεον, & propriè vultur ſit, cadaueribus inſidẽs, & eorum paſtu gaudens, diabolo nomen aptiſſimè conuenit: qui tũ Chananæis, & poſtea in aduẽtu Domini Gentilibus tanquã cadaueribus incubabat. Hæc igitur auis rapax in primis & fœda, ex terra promiſſionis tunc ad arcæ ingreſſum tamquam ante Dei pedes & poſteà ad Chriſti aduentum ex fidehũ ſedibus eiecta eſt. Quòd ſi oppoſitio illa quam diximus in his verbis eſt, vt in Hebraico & Græco deprehẽditur, de Chananæis quidem ſic accipietur, eos ante faciẽ Dei aduenientis per miniſterium Angelorum his pœnis infligendis ſubſeruientium territos, & ex parte deuaſtatos eſſe, deinde per diabolum ſubſequentem, & poſt Dei pedes egredientem, ſi qui Angelis expellentibus, & Iſraëlitis pugnantibus reliqui fuerant, penitus eſſe conſumtos: quod apertè in Deuteronomio legitur, *Inſuper & crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos, donec deleat omnes & diſperdat qui te fugerint, & latere potuerint.* Hebræi non multum diſſident ab hoc ſenſu, qui mortem ante faciem Dei præeuntem, ad bella referunt, cùm Iſraelitis pugnantibus illæ gentes magna ex parte cæſæ ſunt, idq; ante faciem eius; hoc eſt, antè conſpectum arcæ. deinde Deut 7.

ad

ad pedes eius, arcæ itidem egredientem diabolum ſic intelligunt, quòd poſt arcam quaſi ſubſidiarius miles, ſequeretur, qui elapſos ex pugna & ex cæde reliquos interimeret. nam quem diabolũ nós legimus, ipſi peſtem aut peſti ſimilem morbum interpretantur. Quòd ſi aduenıente Chriſto quamuis impietas extincta ſit, & ſublatus idolorum cultus; & infidelium dominatus, & Dei populus ex iugo non ſolùm diaboli, verùm etiam impiorum hominum liberatus, nõ tamen id per mortem & crabrones præeuntes, & diabolum ſubſequentem factũ eſt, nihil id impedimento eſſe debet, quo minùs intelligamus, Chananæorũ exitio impietatis ac perfidiæ interitum qui Chriſti aduentu contigit, perſimilem fore prophetari. ſimilitudo enim ex re præcipua æſtimanda eſt, propter quam ſumitur, non per omnes minutias, omneſq; circumſtantias exigenda, perindeq; eſt ac ſi dictum eſſet, ſic deſtruendam eſſe impietatem & Deorum cultum ex orbe terrarũ, vbi Chriſtus aduenerit, vt olim cùm in terram Chananæorum Iſraelis populum induceret, gẽtes illæ partim prçeuntibus mortiferis crabronibus, partim ſubſequentibus extinctæ ſunt. Iam aliquid de LXX. interpretum verſione dicendum eſt. Ac primùm quia non vno modo diſtinguitur ea interpretatio, quæ ſit verior diſtinctio aperiendum, deinde ex vera diſtinctione ſenſus exponendus. Igitur nonnulli ſic diſtinguendã eam verſionẽ putarunt;

tarunt, *Ante faciem eius ibit verbum, & egredietur in campum*; vt illud quod ſequitur, poſt pedes eius, ſeu, ſecūdùm greſſus eius ad aliud initium pertineat. Sic diſtinguit Euſebius in ſexto libro de Demonſtratione Euangelica; ſic etiam in Vaticano Codice diſtinctum eſt; ſed meliùs longe pòſt illa verba diſtinguitur, poſt pedes eius. vt ſit totum. Ante faciem eius ibit verbum, & egredietur in campum poſt pedes eius. vt illa oppoſitio de qua diximus appareat, ante faciem, poſt pedes. deinde ex alio initio ſequatur, ſtetit & commota eſt terra. Hæc diſtinctio in multis libris Græcis inuenitur, & eam ſequuntur Irenæus lib. tertio cap. 23. Cyprianus libro 2. aduerſus Iudæos, Hieronymus in hunc Prophetam, Auguſtinus libro de Ciuitate Dei 18. Præterea Hebræi codices ſic diſtinguunt, & ille alter interpres quiſquis fuit, hanc diſtinctionem probauit, qui ſic vertit, ante faciem eius præibit ruina, & poſt pedes eius ſequentur maximæ volucres. Conſequens eſt vt dicamus quæ cauſa ſit vt cùm in Latina B. Hieronymi verſione legatur; mors, & ſic Symmachus & Quinta editio tranſtulerint, aut quod penè idem eſt, peſtis, vt Aquila vertit, LXX. λόγον, verbū, transferre voluerint. in cauſa fuit, vt B. Hieronymus refert, Hebræi verbi ambiguitas. nam דבר pro varietate vocaliū ſubiunctarum nunc peſtem aut mortem, nunc ſermonē ſignificat. Illud etiam quæri poteſt, cur verbum Hebrǫum Reſeph, quod beatus Hiero-

Deut. 7.

Hieronymus diabolum dixit, illi verterint εἰς πεδίον in campum, ſeu εἰς πεδία, in campos: vtroque enim modo ſcriptum inuenitur. nam illa altera lectio, cuius mentionem facit Theodoritus, & quidẽ exponit, εἰς παιδείαν, falſa omnino eſt & repudianda, vt apparebit. Ac fortaſſe nonnulli ſint, qui cùm Iudæorum apicibus nimium inhęreſcant, in hoc loco LXX. interpretationem reprehendant. quid enim ſimile eſt Reſeph, & cãpis? Ergo vt LXX. interpretes à reprehenſione vindicemus, & illorum intelligentiæ viam præſtruamus, illud dicimus, vt multis aliis locis, in hoc quoque loco aliter eos in ſuis codicibus habuiſſe, ac pro Reſeph, legiſſe Leſcphi, quod eſt in campum. ſic enim idem Hebræum verbum tranſtulerunt in Numeris cap. 23. de Balaam, καὶ ἐπορεύθη εὐθείαν, & abiit in planam viam; quod B Hieronymus dixit, abiit velociter. & Eſaiæ 13. ἐπ' ὄρους πεδινοῦ ἄρατε σημεῖον, in monte campeſtri leuate ſignum. Ergo ſi Leſephi eſt, εἰς πεδίον, in campũ, corruptè legitur in aliquibus libris, εἰς παιδείαν, in diſciplinam. Senſus ergo ille mihi pulcherrimè ad LXX. tranſlationẽ congruere videtur, quem breuiter B. Auguſtinus explicauit, Ante faciem eius ibit verbum, & prodiet in campum poſt pedes eius, quid eſt, niſi quod & antequam Chriſtus huc veniret prænunciatus eſt, & poſteaquam hinc reuerſus eſt, annũciatus eſt. Cui explicationi illud

addem-

addendũ videtur quod omiſſum eſt,in campum, hoc eſſe, plano curſu & facili poſt eius aſcẽſionem verbum ac prædicationem eius cucurriſſe, adeò vt breui per totum orbem terrarũ peruagaretur. quòd ſi ad ingreſſum in terram Chananęorum referatur,cómodè intelligi poteſt ante faciem Dei iuiſſe verbum, cùm auditum eſt in terra Chananæorum, & celebri ſermone vulgatum, quanta geſſiſſet Dominus in Ægypto, vt populum illum redimeret, quâque admirabili virtute inde eum eduxiſſet. itaque Raab exploratoribus fatetur, audiuimus quòd ſiccauerit Dominus aquas maris rubri ad veſtrum introitum, quando egreſſi eſtis ex Ægypto, & quæ fecerit duobus Amorrhæorum Regibus qui erant trans Iordanem,Seon & Og, quos interfeciſtis: & Moyſes in Cantico, Audierunt populi & irati ſunt, dolores obtinuerũt habitatores Philiſthiim. Poſt pedes autem egreſſum eſt in campos, verbum nẽpe, quia ſtatim atque populus ille Iſraeliticus in terram Chananæorum,Deo deducente, ingredi cœpit, mirabilia illa geſta per omnes tractus & vias fama ferebat: poſt pedes enim idem eſt ac ſi dictum eſſet, eueſtigio; ſtatim poſt ingreſſum res illæ admirabiliter geſtæ, ſermone omnium celebrari vulgariq́ue cœptæ ſunt. *Ioſue 2.*

Stetit & menſus eſt terram: aſpexit & diſſoluit gentes, & contriti ſunt montes ſæculi:

incuruati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius.

Potentiam Dei qua in Chriſto vſus eſt, cùm ſine vllo labore propemodum ſolo nutu omnia ſæculi imperia & regna deiecit ac ſtrauit, his paucis verbis efficaciſſimè & luculentiſſimè tamquam ante oculos ponit. Similiter, inquit, adueniens ad hominum ſalutem Deus facturus eſt, atque tunc fecit, cùm Chananæorum terram cepit, Regeſq; ſubegit. omnia enim quæ per Chriſtum facienda erant, quamuis ea longè excellentiora ſublimioraque futura eſſent, tamen cum priſcis illis rebus confert. quòd illæ res notiſſimæ, & in ore omnium erant, & in admiratione illius gentis habebantur. nihil inferius in hac ſecunda redemtione ac liberatione per Chriſtum futura gerendum eſt, inquit, quàm in illa priore ſit geſtum, cùm populus Iſrael à dominatu Pharaonis ereptus eſt, & terram promiſſam ingreſſus. Stetit, inquit, nihil laborauit, ſed tantùm ſtetit, & ſuo nutu terram totam ſubegit, eamq; populo ſuo ductis menſoriis funiculis diſtribuit. aſpexit, ac ſolo intuitu gentes illas, quæ in vnum quaſi corpus coaluerãt, & ſocietate generis, & morum ſimilitudine, & legum communione, quaſi vinculis quibuſdã inter ſe vinctæ erãt, diſſoluit ac diſiunxit, & ex ea regione diſcuſſit. & montes illi firmiſſimi & antiquiſſimi, Reges, inquam, illarũ gentium, ſuperbia & opibus

opibus elati, qui per multa ſæcula deductum imperium & à maioribus relictum acceperant, (id enim puto eſſe montes ſæculi) dirupti diſſilierunt & fracti ſunt: principes item illi antiquiſſimi, qui collibus ſubmiſſioribus comparantur, incuruati ſunt, & ſub pedibus proſtrati proculcatiq́; ab itineribus ęternitatis Dei, quia olim Deo per eos mõtes & colles iter facere, & eos calcare libuit. itinera nãque æternitatis, ſunt ea itinera quæ olim ſęculis prioribus facta ſunt, aut per quę Deus æternus ingreſſus eſt. His haud diſſimilia in Chriſti aduentu futura prædicit, quòd ſtaturus ſit, & ſine vlla difficultate vniuerſam terram ſuo imperio ſubiugaturus, eamque ſuis fidelibus ad menſuram diuiſurus, vt cùm tota ſimul Eccleſia per vniuerſum terrarũ orbem fuſa, vnum corpus ſit, donis tamen variis diſtincta ſit, & vni detur ſapientia, alteri ſcientia, alteri diſcretio ſpirituum, alteri genera linguarum, alteri interpretatio ſermonum: quæ omnia vnus atque idem ſpiritus operatur, diuidens ſingulis prout vult. Aut fortaſsè illa ſit dimenſio terrę, quòd Eccleſia regionibus ac linguis variis dimenſa eſt, & cùm in fide ac moribus conueniat, ſuas tamen ſingulæ gentes habeant ab Apoſtolis traditas, & à maioribus acceptas conſuetudines, locis etiam & linguis tamquam limitibus circumſcriptæ ſint atque deſcriptæ. iam diſſolutas gentes videre haud difficile eſt;

cùm gentilitatis error in illis extinctus ſit, regna item nobiliſſima & antiquiſſima, quæ ſe contra Chriſti nomen erexerant, ſubiugata incuruataq́; ſint, cùm Chriſtus ſuæ æternitatis potentia ſub pedibus proſtrata calcauerit. Sed quia hæc verba, *ab itineribus æternitatis eius*, ſic in Hebræo leguntur, *itinera ſæculi illius ſunt*, ex his verbis admonemur, aliter quoque hunc locum exponi poſſe, & quod de montibus diſſolutis & incuruatis collibus dicit, ad facilitatem itineris pertinere, quod cùm Deus populum illum in terram quam illi pollicitus erat induceret, omnia viæ impedimenta ſuſtulerit, & montes & colles, ſeu illi figuratè, ſeu ſine figura intelligantur, æquauerit ac planos fecerit, quod illi facillimum fuit, cùm itinera illius ſint, & quacunque velit viam ſternere poſſit, & quibus ducem ſe præbere dignetur, eos etiam per inuia ducere queat. nam itinera ſæculi, inuia & difficilia nimirum loca, quæ olim longa deſuetudine aſpera & abrupta facta ſint, debe-
Ierem.18 mus accipere, quod ex Ieremiæ verbis intelligitur. Impingentes, inquit ille, in viis ſuis in ſemitis ſæculi, vt ambularent per eas itinere non trito. Quod autem diximus montes & colles inclinatos, non modò in figura regum & principum, ſed etiam ad litteram accipi poſſe, id mirum cuiquam videri non debet, cum qui per mare viam aperuiſſet, & aquas fluminibus ſubduxiſſet, etiam per abruptos
mon-

montes, & inuios colles iter ſternere potuiſſe. nam etiamſi hoc miraculum in ſacris litteris non ſatis apertè, & tamquam recto hiſtoriæ curſu deſcriptum eſt, velut ex obliquo tamen indicatur. Legimus enim in Numeris, ſcriptum fuiſſe in libro bellorum Domini, *Sicut fecit in mari rubro, ſic faciet in torrentibus Arnon. Scopuli torrentium inclinati ſunt vt requieſcerent in Ar, vt recumberent in finibus Moabitarum.* Sed ſiue id verè ſiue figuratè in illa prima populi Iſraelitici liberatione factum eſt, idem in aduentu Chriſti eiuſque Redemtione figuratè vtique eſſe complendum, nõ modò Abacuc in hoc loco, ſed Eſaias quoque prædixit, *Parate*, inquit, *viam Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mõs & collis humiliabitur: & erunt praua in directa, & aſpera in vias planas.* Lxx. pro eo quod B. Hieronymus vertit, Stetit & menſus eſt terram, tranſtulerunt, Stetit & commota eſt terra; quod cũ inciſo quod ſequitur optimè conuenit, *Aſpexit & diſtabuerunt gentes*; & videntur in Hebræo legiſſe יעמד וימגד iagamod vaimgad, quæ lectio ſummam in ea lingua gratiam habet, verbis inter ſe ſimilitudine & inuerſione litterarum colludentibus. ideo autem omnia quæ in eorum interpretatione diuerſa ſunt adnotamus, vt eam opinionem quæ multorum animis inſedit, eximamus, qui Lxx. non admodum fideliter ex

Num. 21.

Cap. 40.

Hebræo vertiſſe putant. Verum eſt ſi ad noſtræ ætatis codicum fidem illorum interpretationem exigamus. Sin quod nunc in Hebræis codicibus fertur, cum eo quod in ſuis Hebræis codicibus illi habuerunt, conferamus, ſæpe illos, ne quid ampliùs, elegantioribus multo Hebræis codicibus vſos eſſe fatendum erit. Præclarè autem Theodoritus hoc quod de confractione montium, & humiliatione collium dicitur, ad idolatriam refert, quæ per aduentum Chriſti euertenda erat, iuxta illud Ieremiæ, *Verè mendaces erant colles, multitudo montium; verè in Domino Deo noſtro ſalus Iſrael.* Quinetiam & hic auctor & Heſychius & Cyrillus de Cruce hũc verſum accipiunt, in qua cùm ſtetiſſet Dominus, terram commouit, dæmonas metu & terrore perculit, petras quoque, vt eſt in Euangelio, ſcidit. Quod verò Hebræi in his verbis, *Stetit & menſus eſt terram, aſpexit, & diſſoluit gentes*, dicunt ſæculum illud cõmemorari quo linguæ diuiſæ ſunt; cùm ex audacibus cœptis homines deiecti, è ſumma illa conſpiratione turris ædificandæ in maximam diſſenſionem diſiuncti ſunt, non ſatis aptè ad præſentis loci explicationem dicitur.

Ier. 3. 23.

Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.

B. Hier. Haud facile eſt quid Propheta in his verbis ſenſerit intelligere. Nam plerique ſe ad allegoriam hiſtorico ſenſu prætermiſſo trãſferunt,

ferunt, & Æthiopas in figura dæmonum accipiunt, quòd tetri ſint, & tenebras ament: quorum habitaculum eos fieri dicunt, qui ex iniquo Mamona opes ac diuitias congerunt. Sed vt allegoriá amplectimur, ita priùs hiſtoricum ſenſum exquirendum putamus; vt iactis litteræ fundamentis allegorię ſurgat ædificium. Nonnulli eo dicendi genere quo *Theodoritus.* ex parte totum, & ex ſpecie genus accipi ſolet, Æthiopum & Madianitarum nomine omnes gentes intelligunt, quorum tabernacula viderint Apoſtoli, quippe qui totũ terrarum orbem percurrerint, & Euangelica prædicatione compleuerint. In hac autẽ explicatione quid ſit, *Pro iniquitate*, prætermiſſum eſt. Mihi, vt ſibi Cantici ſeries conſentiat, videtur in his verbis geſta res aliqua cõmemorari, ad cuius ſimilitudinem in aduentu Chriſti gerendũ eſſe aliud Propheta prædicit. ea res geſta quænam ſit declarandum eſt. Hebræi ferè omnes in ea ſententia ſunt, vt hiſtoriam quãdam his verbis indicari putent: quorũ vt expoſitio poſſit intelligi, priùs dicendum eſt in Hebræis codicibus hũc verſum ad hunc modum legi, *Pro iniquitate vidi tentoria Chuſan : turbabuntur pelles terræ Madian.* Duas igitur victorias his verbis perſtringi putant: alterã de Chuſan Raſathaim *Iud. c. 3.* Rege Meſopotamiæ ductu Othoniel habitam; alteram de Madianitis, duce Gedeone, vtramque in libro Iudicum deſcriptam. ac *Iud. 6. 7. 8.*

Prophetá ſub populi perſona fateri propter iniquitatem culpamq́; ſuam in ea ſe mala incidiſſe, vt tentoria caſtraq́; Chuſan videret, ſed Dei benignitate factũ, vt hoſtilem exercitum funderet atque fugaret : neque diſſimilem illam alteram victoriam fuiſſe, quam de Madianitis Gedeon retulit, eorũ pellibus atque tabernaculis caſtriſq́ue direptis.

Sed illud in hac Hebræorum expoſitione permouet animum, quòd Lxx. non Chuſan, quaſi proprium regis Meſopotamiæ nomen ſit, ſed Æthiopiam dixerunt; neque illi ſolùm, verùm etiam B. Hieronymus ita vertit; qui cùm Hebræos duces in ſua interpretatione ſequi ſoleat, hoc loco cum Lxx. conſenſit: & quod magis mirum eſt, in ſuis commentariis nihil dixit ex quo alios interpretes aliter vertiſſe poſſet intelligi: vnde illos quoque ſuſpicor Æthiopiam interpretatos. Nec illud quidem leue eſt, ſi Hebræorum lectionem ſequamur, & hæc verba de victoria aduerſus Chuſan habita intelligamus, mirum videri quòd de ea victoria nihil dictũ ſit, ſed obſidio modò commemorata, pro iniquitate, inquit, vidi tentoria Chuſan: atqui conſentaneum erat Prophetæ propoſito, cùm in hoc cantico mira Dei facta, & illius potẽtiæ opera celebret, victoriam potiùs de Chuſan habitam in qua Dei potẽtia eluceret, recenſere, quàm obſidionem exponere. quẽ ſcopulum vt euaderent nonnulli ex Hebræis,

verba illa, *Pro iniquitate*, ſic explicanda cenſent, in infirmo & parum tuto loco vidi fixa tentoria Chuſan, itaque facilè conciderũt & deiecta ſunt. Hæc ſi cui placebunt, amplecti licebit, illud tantùm animaduertat velim, cum LXX. & cum Latina vulgata editione non cohærere. nam vtraque editio habet, vidi tentoria Æthiopię. Dicam poſtremò quid ipſe de hoc loco ſentiam, neque à veſtigiis vulgatæ editionis abſiſtam. Æthiopiam Sacræ litteræ nonnumquam illam quoq. Arabiæ partẽ quæ Æthiopibus eſt affinis, appellant, in qua Madianitæ olim habitabãt, gens nullis certis ſedibus, ſed pro gregum & armentorum vſu, quibus paſcẽdis dedita erat, in tabernaculis degens. Hinc illa quæſtio diluitur, Cùm in Exodo Sephora vxor Moyſi Madianitis dicatur, quomodo eadẽ in Numeris appelletur Æthiopiſſa, vbi Mariam & Aaron de Moyſe murmuraſſe ſcriptum eſt. *Exod.* *Num. 12.* Eam quæſtionem quo modo Hebræi ſoluãt, pudet dicere. illi optimè, qui Æthiopiſſam cenſent ideo appellari, quia ex Arabia erat, vicina Æthiopibus: vel quia cùm in Tabernaculis habitarent Madianitæ, ſolis æſtu torrebantur, ex quo ſubfuſcum colorem ſimiliter atque Æthiopes contrahebãt: vnde ſubnigram mulierem quod ad colorem Æthiopum accederet Æthiopiſſam ſcriptura dixit. Pro iniquitate igitur illorum ipſorũ Æthiopum & Madianitarum, ad quam populum

Dei ſubornatis mulierculis illicere conati ſunt, vt in Numeris legitur, Vidi tentoria Æthiopiæ, hoc eſt, Madianitarum, & cæde maxima hoſtiũ facta diripui, ouium boumq; prædam abegi. Iniquitatem verò Scriptura diuina ſolet idolorum cultum appellare, vnde ciuitas in qua Ieroboam primus excogitato ſcelere vitulos cõſtituit, Bethauen, hoc eſt, domus iniquitatis dicta eſt. L x x. pro iniquitate dixerunt, pro laboribus, infauſto infeliciq; nomine idola notantes, quòd nõ lætitiam afferant, ſed dolorem ſuis adoratoribus inurant. Tale aliquid, immo verò longè maius in aduentu Chriſti futurum indicat: nam iis qui ad impium idolorum cultũ donis, promiſſis, oblectamentis allicerent, minis præterea omniq; cruciatuum vi terrẽdo cogerent extinctis, oues illum ex diuerſis gentibus, tamquam è diuerſis tabernaculis abductas, in ſuum ouile collecturum, vt fiat vnum ouile, & vnus paſtor.

Numquid in fluminibus iratus es Domine, aut in fluminibus furor tuus, vel in mari indignatio tua, quia aſcendes ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſaluatio?

Subobſcurus eſt hic quoque verſus. itaque priùs recenſendum puto quid alij dixerint. B. Hieronymus hunc locũ his verbis explanat, ſicut Iordanem & mare ſiccaſti rubrum pro nobis dimicans, non enim fluminibus & mari iratus es, aut quicquam inſenſibilia offenſio-

ſenſionis contrahere potuerunt; ita nunc quadrigas conſcendens tuas, arcumq; corripiens, ſalutem dabis populo tuo, & iuramẽta quæ iuraſti patribus noſtris & tribubus, explebis in ſempiternum. Deinde in allegoricum ſenſum decurrit, explicatque quod ſit mare, quæ flumina, quibus curribus Deus vehatur, quibus equis inſideat. Theodoritus verò ex ſuperioribus verbis vbi dixit, *Aſpexit & diſſoluit gentes, & contriti ſunt montes ſæculi.* Hunc verſum pendere putat, & figuratè mare & flumina gẽtes appellari. Dum commoues terram, inquit, & montes conteris, nũ omnibus gentibus iraſceris, & hominum genus penitus exſcindere paras? minimè tu quidem, ſed pro hominum ſalute paſſionem pertuliſti: ideoq; ſanctis Apoſtolis tamquam equis vectus, omnibus credentibus ſalutem tribues: tuis autẽ infeſtis telis aduerſus contradicentes vteris, in quibus præcipuè ſunt Iſraeliticæ tribus. Hebræi ſic locum explicant. Numquid ideo ſiccaſti mare & flumina, quia inſenſibili naturæ iraſcebaris? minimè verò: ſed eius rei cauſa fuit, quia aſcendiſti ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſaluatio. hoc eſt, nõ quia iraſcereris irrationabilibus naturis id feciſti, ſed vt populo tuo opem ferres, & ſalutẽm tribueres. Sed ſi velimus ſenſum horum verborum penitus intelligere, eorum connexionẽ prius attendere oportet: nam vt in corporibus, ita etiam in ſer-
mone

bellum ſuſcepturus es, tantis viribus erunt, vt maris ac fluminum inundantium impetum æquent, vt neceſſe ſit maxima vi rem gerere,& iuſta acie, & inſtructo exercitu aduerſus eos dimicare,equos cõſcendere, quadrigis inuehi (per quæ ſummas vires indicare voluit)& tam inſtructo apparatu cũ hoſte congredi, fidelibusq; tuis ſalutem ac victoriã parare? Poteſt hæc qui velit minutè perſequi, & equos & quadrigas Dei allegoricè interpretari: mihi ſatis eſt ad litteræ ſenſum percipiendum viam aperuiſſe, quæ duobus illis verbis non ſatis intellectis erat non modò alterius linguæ hominibus, verùm etiam quod mirum eſt, ipſis etiam Hebræis adhuc obſtructa.

Suſcitans ſuſcitabis arcum tuum, iuramenta tribubus quæ locutus es: ſemper.

Non modò equos conſcendes, & hoſtes vrgebis, verùm etiam arcum ſemper aduerſus eos intentum habebis,& ſagittis cõfiges. Suſcitandi autem verbum pro eo poſitũ eſt, ac ſi dixiſſet,concutiendo concuties,hoc eſt frequenti concuſſione ſagittas emittes: nam illa repetitio verbi eiuſdem, ſuſcitans ſuſcitabis,frequentiã actionis indicat. idq; facies, vt promiſſa quæ Patribus iuraſti, populi tui tribubus reddas. Deinde vt aſſenſu ſuo Propheta ſtabilia eſſe & vera illa iuramẽta confirmet, quæ locutus es inquit, ſemper, hoc eſt,vera & certa erunt,neque vnquam irrita

&

& vana cadét: nam quod Sela eſt in Hebræo, B. Hieronymus, ſemper, tranſtulit; qua voce ſolent in ſacris carminibus verba iam dicta confirmari, vt alio verbo Amen. Lxx. verterunt, diapſalma, quod vel interruptionem quandam Pſalmi, & ceſſationem à pſallendo ſignificat, cùm ſpatium ac mora aliqua datur iis quæ dicta ſunt conſiderandis; vel muſici cuiuſdam ſoni ſignum, quo ſublatis vocibus quæ dicta ſunt ab iis qui aderant exciperentur, approbantibus, quo modo apud Græcos erant ἐπιφωνήματα quibus plauſus populi petebatur. Variant Lxx. aliquantum, apud quos ſic legitur, *Intendens intendes arcum tuum in ſceptra.* quæ ſceptra Theodoritus tribus Iſrael interpretatur, è quibus qui fidem Chriſti non ſuſceperunt, ij pluſquam ceteri inimici, odio implacabili & pluſquam hoſtili Chriſtum & eius Eccleſiam proſecuti ſunt. pro eo autem quod in editione B. Hieronymi legimus, quæ locutus es, Lxx. poſuerunt, dicit Dominus; quod ad ea quæ dicta ſunt confirmanda valet, vt aſſeratur non aliter futurum eſſe quàm ipſe prædixerit, cùm ſit diuino decreto ſancitum; id enim eſt, dicit Dominus.

Fluuios ſcindes terræ.

Fluuios ſcidiſſe nonnulli putant, cùm Iordanem aperuit. ſed meliùs qui fluuios tum ſciſſos intelligunt, cùm de terra fontes eruperunt vt fluerent: itaque præclarè in Lxx. legi-

legimus ποταμοῖς ῥαγήσεται γῆ, fluuiis ſcindetur terra. Hanc enim veram eſſe Lxx. interpretationem puto, quam & Romana editio, & Tertullianus, & Auguſtinus habent, & multi Græci codices, & Catena Græcorum Patrum. nam in illa altera lectione, ποταμῶν ῥαγήσεται γῆ, videtur deeſſe, διὰ, vt ſit, διὰ ποταμῶν ῥαγήσεται γῆ, quod in idē redit: cuius lectionis veſtigia ſunt in Heſychio, ſic enim interpretatur, διὰ ποταμῶν τοῦτ᾽ ἔστι τῶν δωρεῶν τοῦ πνεύματος, ἡ γηΐνη πολιτεία λυθήσεται. per fluuios, hoc eſt, per dona ſancti Spiritus, terrena conuerſatio ſoluetur. Indicatur autem per hæc verba illa petræ ſciſſio, de qua dicitur in Pſalmo 77. *Percuſſit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt.* Cuius miraculi ſimilitudinē nec in hac quidem ſecunda per Christum liberatione defuturam prædicit, & in incultis horrentibúſque gentium deſertis, in quibus feræ teterrimæq; belluæ priùs habitabāt, flumina Spiritus ſancti, & fontes Scripturarum, & prædicatorum aquas non mortuas, & de pluuiis collectas, ſed de fonte pectoris redundantes emanaturas, vt illud impleatur, Poſuit deſertum in ſtagna aquarum, & terram ſine aqua in exitus aquarum. quod in aduentu Chriſti futurū Eſaias quoque prophetauit, *Aperiam in ſummis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam deſertū in ſtagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarū.* Hîc autem

Tertul. 4. cōt. Marc. Aug. 18. de ciu. Dei cap. 18.

Eſaia 41

in

inHebræo finis eſt verſus:nam quæ ſequuntur ad alterum verſum pertinent, & aliud miraculum.

Viderunt te & doluerũt montes, gurges aquarum tranſiit: dedit abyſſus vocem ſuam, altitudo manus ſuas leuauit.

Montes qui viderunt & doluerunt, pleriq; intelligunt Reges Chanaan, qui cùm res tam admirabiliter à Deo geſtas audiſſent, exterriti conſternatique ſunt, vt Moyſes dixit, *Dolores obtinuerunt habitatores Philiſthiim, tunc conturbati ſunt principes Edom, robuſtos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan.* Vidiſſe autem dicit, quanuis ea facta non viderint, ſed audierint. quod enim tamquàm certum auditur id videri dicitur. itaque de Iacob ſcriptum eſt, Vidit Iacob quòd eſſent alimenta in Ægypto: quod B. Hieronymus vertit, Audiens autẽ Iacob. Sed poteſt etiam hoc dictum eſſe per fictionem perſonæ, quod genus loquendi proſopopœiam Græci vocant. quo loquendi more ſolet ipſis etiam inanimis ſenſus dari, vt hic idem Propheta ſuperiùs dixit, *Lapis de pariete clamabit, & lignum reſpõdebit.* hac itaque figura dictum eſt, Doluerunt montes, quaſi etiam ipſi montes qui fortiſſimi ſunt & duriſſimi, his miraculis, & maris rubri tranſitu de quo iam loquitur, & frequenti fulminum concuſſione pauefacti pertimuerint, & quibus in corporali hac creatura nihil eſt

eſt firmius; metu ac reuerentia diuinæ maieſtatis concuſſi ſint, & ſtare loco non potuerint. Sic dictū eſt de eadem re in Pſalmo 113. *Montes exultauerunt vt arietes, & colles ſicut agni ouium, à facie Domini mota eſt terra.* Doluerunt autem dictum eſt ad ſimilitudinem parturientis mulieris, quæ in dolore diſſolutis membris conſiſtere non poteſt. Non diſſimilis erit, inquit, in aduentu Chriſti ſublimium poteſtatum & ſæculi Regum timor, qui gloriæ Chriſti inuidentes illius regnum ſuo aduerſum, & incrementa creſcentis Eccleſiæ imperij ſui detrimenta putabunt: quo timore Iudæi quoque perculſi ſunt, cùm dicerent, Omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum noſtrum & gentem. Illud verò animaduertendum, hūc Prophetę locum pænè eumdem eſſe cum illo de Pſalmo 76. *Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt, & turbatæ ſunt abyſſi, multitudo ſonitus aquarum vocem dederūt nubes*: niſi quòd hoc loco montes poſiti ſunt, ibi verò aquæ, quamuis in hoc Habacuc loco LXX. non montes, ſed populos dixerint, ſicnamque verterunt, *Videbunt te & parturient populi*: quod eos ideo feciſſe puto, quia in Hebræis Codicibus quibus vſi ſunt, non הרים, id eſt montes, ſed עמים, id eſt populi legebatur, aut fortaſſe, vt in Pſalmo iam dicto eſt מים, aquę, ſic in hoc itidem Propheta legerant; & quia ſolet hac trāſlatione vti Scri-

 ptura,

ptura,vt ex aquis populos ſignificet, propriò nomine populorum potiùs quàm tranſlato aquæ vti voluerunt.

Gurges aquarum tranſiit. Videtur Propheta mirabilem illā Rubri maris traiectionem vltimo loco non incōſultò reſeruaſſe,vt quæ ceteris rebus in ea liberatione populi Iſraelitici eſſet illuſtrior: & hanc eſſe cauſam puto propter quam in admirādis illis rebus commemorandis ordinē non ſeruarit: nam cùm in ſuperioribus narrationem vſque ad eruptionem fluminum perduxiſſet, fluuios; inquit,ſcindes terræ,nunc in hoc verſu ordinē reflexo ad mare Rubrum & tranſitum illum admirabilem curſum orationis reuocat, vt poſtremo loco poneret prodigium quod ceteris erat illuſtrius. Illum verò maris ſe ſubducentis æſtum & ἄμπωτιν gurgitem appellauit,quòd obuia quæque abſorbeat,& ſecū trahat. Vndis ergo ſe ſubducentibus, & in vtramque partem refluentibus, tranſiit gurges aquarum,& iter populo ſiccum reliquit. Hebræi fere omnes hæc verba de Iordanis tranſitu accipiunt, cùm inferiore fluminis parte in mare ſolitudinis defluente, ſuperiore autem ſe velut in aceruum & congeriem extollente, per nudatum aquis alueum via patuit. Sed de mari rubro intelligi illud in primis perſuadet, quòd eadem verba ſunt, vt modò diximus, in Pſalmo 76. vbi de maris rubri tranſitu ſermonem eſſe non dubiū eſt,

vt

vt illa verba indicãt, *Etenim ſagittæ tuæ tranſeunt*; & , *Illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ*; & paulo pòſt apertiùs, *In mari via tua, & ſemitæ tuæ in aquis multis.* Rurſus igitur, vt ad Chriſti aduentum , de quo agitur, prædicta iam ſignâ referantur, gurges aquarum tranſibit, & denuò, vt olim, iter per mare rubrum Chriſto duce patebit: quod tunc factum eſt, cùm omnis Regum impiorũ & Principum ſæculi deferbuit impetus , & perſecutio qua populum Dei abſorbere parabant tanquam gurges refluens pertranſiit. L x x. ſic tranſtulerunt, Diſpergens aquas itineris, vt eundem ſenſum habeat. diſſipauit enim ac diſperſit illam aquæ molem , vt iter populo ſterneretur: quod B. Auguſtinus & Theodoritus in Chriſto tunc impletum eſſe demonſtrant, cùm diuinæ ſuæ doctrinæ fluenta in vniuerſas gentes per ſanctos Apoſtolos & prædicatores verbi diſperſit. Heſychius etiam ad litteram à Chriſto factũ docet, cùm ſupra mare ambulauit. B. Hieronymus cùm aquas à peruerſis dogmatibus conculcatas diſperſit, & conſilia Principum, & mundi ſapientiam diſſipauit. Sed aquas itineris intelligere poſſumus altiſſimam aquarum profunditatem, quæ ſuperet & occultet ac mergat homines, vt ὕδατα πορείας, ſit ὕδατα ὑπερβαίνοντα, vt etiam Naum primo capite dixerunt L x x. κατακλυσμὸν πορείας, & B. Hieronymus, diluuium præteriens.

Dedit Abyſſus vocem ſuam, altitudo manus ſuas leuauit.

Gurgites maris cùm tranſirent,& in vtramque partem reflùerẽt, terribilem ſonum dederunt. at verò altitùdo maris quæ iam aqua è medio ſubtracta velùt ripis vtrinq; in ſublime elatis conſtiterat, leuauit manũ ſuam, quaſi necem Ægyptiis machinaretur, & eos in mediis fluctibus inuolùere geſtiret. Frequens enim eſt in Scriptura hic loquẽdi modus, leuare manum, pro eo quod eſt, moliri necem alicui: vt illud eſt 2. lib. Regum c.18. *Concluſit Deus homines qui leuauerũt manus ſuas contra Dominum meum Regem.* Sed quia abſolutè dicta eſt altitudo, neque cuius ſit adiectum, poteſt non aquarum, ſed Dei altitudo intelligi, vt ſit ſenſus, Altitudo Dei manus ſuas leuauit, nempe ad hoſtes interimendos: aut etiam leuauit manum ſuam, & iurauit illos interemturum. nam, leuare manum, etiam iurare ſignificat: quia cùm iuramus, manum attollere conſueuimus, vnde eſt illud de Cantico Moyſi, *Leuabo in cælum manum meam, & dicam, viuo ego in æternum.* B. Hieronymus per altitudinem Angelos intellexit. Tunc, inquit, abyſſus, hoc eſt, inferi laudauerunt te: tunc etiam ſuperi Angeli in plauſum ſuis manibus concreparũt, vt victorem veluti geſtu quodã & tripudio manuum demonſtrarent. quæ expoſitio cum illa conuenit, quam ex Hebræis nonnulli afferunt,

exer-

exercitus inquiunt, cælorum laudauit illum. & vſu Scripturæ ipſa quoque confirmatur; nam hoc modo eleuatio manuum in Pſalmo 133. accipitur, *In noctibus extollite manus veſtras in Sancta, & benedicite Dominũ.* Hebræi autem non altitudinem, ſed, in altũ accipiunt, vt ſit, Dedit abyſſus vocem ſuam, in altum manus ſuas, eadem abyſſus nempe, leuauit, quia cùm aquę ſtetiſſent in morē aceruí, & quaſi conſtrictæ gelu in maximam altitudinem cumulatæ eſſent, abyſſus ipſa & profunditas aquarum vtrinque extuliſſe & leuaſſe manus in altum videbatur.

Nec prætereunda eſt LXX. interpretum diuerſitas, in quorum interpretatione cũm Eccleſia educata ſit, impium eſt eam reiicere, cui & ortum noſtrum, & incrementa debemus. Illi enim ſic tranſtulerunt: ἔδωκεν ἡ ἄβυσσος φωνὴν αὐτῆς ὕψος φαντασίας αὐτῆς, ἐπήρθη ὁ ἥλιος, καὶ ἡ σελήνη ἔστη ἐν τῇ τάξει αὐτῆς. Græca verba poſui, quia ab iis qui in Latinũ verterunt, non vno modo diſtincta, & intellecta ſunt. de diſtinctione priùs videamus. Igitur ferè omnes Eccleſiaſtici ſcriptores poſt illa verba, fantaſiæ ſuæ, diſtinguunt; vt ſit, Dedit abyſſus vocē ſuam, altitudo fantaſiæ ſuæ: deinde ſequatur, Eleuatus eſt Sol, & Luna ſtetit in ordine ſuo. Sic verſionē LXX. legimus in B. Hieronymi Commentariis. quod ad diſtinctionem attinet; ſic B. Auguſtinus citat, ſic B. Gregorius. Tertullianus autem

B. Greg. in Homil. de Aſcen. Domini.

autem libro 4. aduerſus Marcionem videtur ex alia tranſlatione miſtũ hoc teſtimonium protuliſſe: Dedit abyſſus ſonum ſuum: ſublimitas timoris eius elata eſt: Sol & Luna conſtitit in ſuo ordine. Primùm enim in eo differt, quod non altitudinem fantaſię dixit, vt Lxx. proculdubiò tranſtulerunt; ſed, ſublimitas timoris: deinde poſt verbũ, elata eſt, diſtinxit, eodem modo quo nunc Hebræi diſtinguunt. quæ diſtinctio cum Lxx. verſione conuenire non poteſt; idq; ex eo apparet, quia non cum articulo poſitum eſt, τὸ ὕψος φαντασίας αὐτῆς, vt nominãdi caſu poſſit intelligi, ſublimitas fantaſiæ eius, ſed ſine articulo legitur ὕψος φαντασίας αὐτῆς, vt nomen etiam quod præceſſit, ſine articulo poſitum eſt, φωνὴν αὐτῆς, quare accuſandi caſu vtrunque nomen intelligere oportet. ex quo liquet tranſlationem illam Lxx. quam beatus Hieronymus poſuit, magis ad Lxx. ſenſum accedere, quàm illam B. Auguſtini. in illa namque B. Hieronymi ſic legimus accuſandi caſu, Dedit abyſſus vocem ſuam, altitudinem fantaſiæ ſuæ: B. verò Auguſtinus nominãdi caſu, Dedit abyſſus vocem ſuam, altitudo fantaſiæ ſuæ; vnde etiã cogitur ſubaudire, dedit vocem ſuam. Hæc ſubtiliùs dicenda fuerunt, vt in hac varietate quæ vera eſſet L x x: interpretatio ſtatueretur: nunc quem ſenſum habet, explicãdum eſt. Abyſſus igitur cùm aquæ diſcederẽt, dedit vocem

ſuam:

ſuam : eademque abyſſus dedit altitudinem fantaſiæ ſuæ, cùm ſciſſo mari, quanta eſſet aquarum ſe operientium altitudo vidēdum dedit & oſtendit, quam altitudinē aquarum quia numquam vidimus, animo & imaginatione concipimus. Illud verò ad omnia hæc miracula quæ facta narrantur, ſubiiciendum eſt, ita hæc facta recenſeri, vt iterum eadem aut ſimilia in ea quę per Chriſtum futura eſt liberatione facienda à Propheta prædicantur: rurſus inquit, rubri maris gurgites trāſibunt, cùm vincta nocendi poteſtate, quod ſolum reliquum erit, ad contradictiones ac maledicta linguas armabunt. Altitudo manus leuabit, cùm huius ſæculi principes minas ac vires ſuas aduerſus Chriſti fideles exerent. Theodoritus, quia diſperſas aquas ad Apoſtolorum prędicationem ſignificandam accommodauit, cōſequenter abyſſum gentes intellexit amaritudine impietatis infectas : itaque vt fluuiis in mare influentibus fragor & ſonus editur, impedientibus vndis, & fluuiorum aquas reiicientibus, ita aduerſus ſanctos Apoſtolos cùm ſalutares prædicationis aquas gentibus inferrēt, illæ tumultus & ſeditiones excitabant, infidelibus contradicentibus, & Apoſtolicæ doctrinæ ſplendorē extinguere conantibus : qualis illa fuit Epheſi ab Demetrio argentario commota ſeditio, quales illi etiam Corinthi tumultuantium clamores; Hieroſolymis quoque

aduerſus Paulum vrbis totius concitatio.

Sol & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo.

Hebræi omnes hoc de pugna aduerſus
Ioſue 10. quinque Reges intelligunt, pro Gabaonitis defendẽdis ab Ioſue geſta, cùm ad illius imperium Sol & Luna ſteterunt. Et ipſa certè verborum proprietas huic ſenſui fauet: ſed cùm inter eos hucuſque cõueniat, in iis quæ ſequuntur, In luce ſagittarum tuarum ibũt, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ, diſſentiunt, & in diuerſas expoſitiones abeũt: nonnulli enim ex illis neglecta rerum geſtarum ſerie, de fulminibus accipiunt in mari rubro aduerſus Ægyptios inſequentes à Deo coniectis: nam cùm lucem ſagittarum & fulgurantem Dei haſtá de fulminibus magis propriè dici, quàm de grandinibus videant, verborum proprietatem rerum geſtarũ ordini præferendam putant. Alij ordinis tenaciores de illa ipſa Ioſue aduerſus quinque Reges pugna hæc etiam verba intelligenda putant, in qua etſi fulmina nulla in Scriptura aduerſus hoſtes coniecta narrentur, lapides tamen & grandines à Deo miſſi commemorantur, cum quibus etiam fulmina de cælo veniſſe non abhorret à vero; & ipſi præterea lapides grandinis fulgorem quendam habent, maximè ſi noctu cadant: quo tempore pars illius pugnæ aliqua fuit. Mihi adeò certum videtur ſagittas & fulgurantem haſtam Dei de fulminibus illis dici, quæ in mari rubro in

hoſtes

hoſtes Ægyptios miſſa ſunt, vt id negare velle pænè impudétiæ ſit: præſertim cùm etiam in Pſalmo ſeptuageſimoſeptimo, in quo ſine dubio de maris rubri tranſitu ſermo eſt, & vnde nonnulla quæ hucuſque dicta ſunt in hoc Cantico pænè ad verbum ſumta videntur, poſt gurgites aquarum ſonantes, voces nubium, & tonitrua, & ſagittæ tranſeuntes commemorentur. Multitudo, inquit, ſonitus aquarum, vocem dederũt nubes: etenim ſagittæ tuæ tranſeunt; vox tonitrui tui in rota: illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ, vidit & commota eſt terra. Quòd ſi in commemoranda Solis & Lunæ ſtatione non ſatis rerum geſtarũ ordo ſeruari videtur; multo enim antè tranſitus maris rubri & Ægyptiorum interitus cõtigit, quàm Solis & Lunæ ſtatio; concedendũ eſt id prophetico ſpiritui; qui non hiſtoriam narrare inſtituit, ſed excellentia Dei facta perſtringere, quibus illi populo ſalus parta eſt. Ac fortaſsè quia prodigia expoſuerat, quę in terra, in fluminibus, in mari facta erant, dixeratque, fluuios ſcindes terræ, viderunt te & doluerunt montes, gurges aquarũ tranſiit, altitudo manus ſuas leuauit; ne in hac miraculorum commemoratione elementũ aliquod deeſſet, & ab admirandis Dei operibus videretur immune, cohibitum Solis & Lunæ curſum quaſi per ἔκβασιν expoſuit quo tamquã per tranſitum perſtricto, rurſus ad mare rubrum, & illatam

Ægyptiorum exercitui cladem reuertitur. B. Hieronymus hunc locũ ſic explicat, tamquã rẽi futuræ ſimplex prædictio ſit, & nullam rei geſtæ ſimilitudinem referat. Sol, inquit tuus & Luna, & omnis ſplendor quo priùs illuxeras populo tuo, & malorum poſtea pondere vniuerſa fuerant tenebrarũ horrore cooperta, receperunt lumen ſuũ, & priſtinum habuêre fulgorem. Sed vt in iis quæ hucuſque à Propheta dicta ſunt, & quæ deinceps dicuntur res geſtæ, vt rerum futurarum ſimulacra narrantur, ſic in his quoque verbis rei alicuius geſtæ narratio continetur. Quòd ſi cui ordo rerum minimè conténendus videtur, illa fortaſſis expoſitio afferri non abſurdè poſſit, Solem & Lunam ſtetiſſe in habitaculo ſuo, quaſi non leui, ſed ſtataria pugna aduerſus Ægyptios ea ſydera dimicarint: quod per exceſſum ad magnitudinem cladis ſignificandam dictum eſt, vt indicetur ſic omnes occidione occiſos, ac ſi Sol & Luna curſu ſuo intermiſſo aduerſus illos arma cepiſſent: vt in Cantico Deboræ ſimili figura de Siſaræ exercitu dictum eſt, de cælo dimicatum eſt contra eos: ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo aduerſus Siſaram pugnauerunt. Iam ad LXX. verſioné deſcendamus; in qua ſi rei geſtæ hiſtoriam quærimus, eundem ſenſum habere poterit quem proximè diximus: nã per fictioné perſonæ dici poteſt, eleuatum eſſe ſolem, tãquam ſi ad pugnam
cum

cum Ægyptiis conſerendam totus aſſurrexerit, & omnes ad vindictam ſumendam vires excitauerit. Luna quoque ſtetit in ordine ſuo, & quaſi ſtrenuus miles quem locum in acie ſortita eſt firmo gradu tenuit, neque inde vmquam depulſa eſt. Ex his autem duobus quæ ſpectabiliora ſunt, cetera quoque ſydera intellexit: & apte ſic de ſyderibus quaſi de militibus loquitur, cùm exercitus cæli ſæpè ex vſu Scripturarum ſanctarum appellentur. non quòd anima aut ratione prædita ſint, ſed quòd Angelorum intelligentium vi ac miniſterio moueantur. Nec hoc quidem cæleſtium copiarum ſubſidium iis qui liberati à Chriſto fuerint deerit, quarum vires in expugnandis inimicis, & ſanctis viris auxilio iuuandis nõ ſemel experta eſt Eccleſia. nam & primum perſecutorem Herodem Regem qui in Apoſtolos manum mittere auſus eſt; & gladium Apoſtolica cæde cruentare, Angelus percuſſit & interemit: & vinctos Apoſtolos è carcere primùm omnes, deinde ſolum Petrum relaxatis vinculis Angelus eduxit. At verò ſi Chriſtum Solem acceperimus, & Eccleſiam Lunam, aliter quoque ad exitum perueniſſe hoc vaticinium docebit Auguſtinus. Eleuatus eſt Sol & Luna ſtetit in ordine ſuo. hoc eſt, inquit, aſcendit Chriſtus in cælum, & ordinata eſt Eccleſia ſub rege ſuo. nam cùm aſcendiſſet in altum, dedit dona hominibus diuerſa, vt Eccleſiaſtici corporis

poris plenitudo perfecta ſit, & pro diuerſitate membrorum varia ſint diſtinctaque munera, neque omnes oculus ſint, aut pes, aut manus; neque omnes Apoſtoli, aut Prophetæ, aut Doctores; ſed ordo in munerum varietate ſeruetur.

In luce ſagittarum tuarum ibunt, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.

Iam dictum eſt nonnulla eſſe in hac parte huius Cantici, quæ cum Pſalmo 76. conueniant. hic autem verſus cum illis verbis Pſalmi congruit, *Etenim ſagittæ tuæ trāſeunt: vox tonitrui tui in rota. illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ.* Ex quo apparet etiam hæc verba Cantici ad Rubri maris tranſitum eſſe referenda, cùm reſpiciens Dominus in caſtra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis, ſagittas ac fulmina in eos contorqueret, teliſque confoderet. ad quam rem illa verba Pſalmi ſpectare non dubium eſt. Hebræos itaque de pugna illa Ioſue aduerſus quinque Reges verba hæc accipientes minùs probo, qui ſagittas & fulgurantem haſtam lapides grandinis ſignificare putant in illorum exercitum coniectos. Cùm igitur ille Dei populus de nocte per mare rubrum tranſiret, non facibus ad iter faciendum, non Lunæ lumine opus fuit, cùm ad lumen ſagittarum & ad ſplendorem fulgurantis haſtæ Dei ambularent. Habent autem emphaſim hæc verba maximam: nam ſignificare Propheta voluit, adeò

adeò crebris ignibus micaſſe cælum, adeoq; aſſiduis fulminũ telis ictos fuiſſe Ægyptios, vt eorum fulgor Iſraelitis pro lumine ad iter de nocte faciendum ſufficeret. Non aliter, inquit, in hac ſecunda populi Dei redẽtione per Chriſtum facienda, iaculis doctrinæ ſuæ fulgentibus hoſtes feriet, ac redemtos illuminabit. Hunc ſenſum noſtra editio habet: Lxx. paulò aliter, In lucem iacula tua ibunt, in ſplendorem coruſcationis armorum tuorum. Sed vt verè dicam quod ſentio, non puto LXX. multitudinis numero tranſtuliſſe, ὅπλων σου, armorũ tuorum; ſed vnitatis numero ὅπλον σου, arma tua, vel telum tuum, vt ſubaudiatur è proximo, ibit. neque hoc ex mea coniectura, ſed ex auctoritate Tertulliani. is 4. contra Marcionem ſic profert hunc locum, *Fulgur ſcutum tuũ*, ſed mallem *Telum tuum*, ὅπλον enim apud LXX. non ſcutũ, ſed telum ſignificat, vt Pſalmo 45. *Arcum conteret, & confringet arma,* Græcè ὅπλον, *& ſcuta comburet.* Quæ verba hunc ſenſum habent: Iacula ſagittasq; Dei luce micantes iuiſſe, & perinde atque ſplendor fulguris telum eius coruſcaſſe; iuxta illud Zachariæ, *Dominus Deus ſuper eos videbitur, & exibit vt fulgur iaculum eius.* Præclarè autem iaculis Dei lucem & coruſcationem tribuit, quaſi non rubigine obſcurata ſint, ſed nitida, & ad ſplendorem deterſa, vnde fit vt magis etiam vulnerent ac penetrent: quod LXX. ſignificare

pulcherrima tranſlatione voluerunt. Quod ſi quis roget quænã in aduentu Chriſti eiuſmodi iacula fuerint, is Apoſtolos & prædicatores verbi Dei aſpiciat velim, qui tanquam ex arcu Dei emiſſæ ſagittæ erant ſplendidæ atque nitidæ, vt in eos illud Eſaiæ conueniret, *In pharetra ſua abſcondit me, & poſuit me quaſi ſagittam electam.* Electa namque ſagitta iuxta Hebraici ſermonis proprietatem, deterſa eſt & fulgens: vnde etiam de Paulo Dominus dixit, *Vas electionis mihi eſt iſte.*

In fremitu conculcabis terram, & in furore obſtupefacies gentes.

Hunc verſum ad terræ Chanaan ſubiugationem Hebræi referunt, eiuſq; hũc ſenſum eſſe aiunt: In ira & furore tuo ſubegiſti terram, & ſeptem gentes eius incolas perdidiſti, ſeu, vt B. Hieronymus vertit, obſtupefeciſti; terrore ac metu attonitos defixiſti, vt in Cantico dicit Moyſes, *Irruat ſuper eos formido & pauor in magnitudine brachij tui: fiant immobiles quaſi lapis.* Sed nihil impedimento eſt, quo minus etiam de mari rubro & Ægyptiorum ſtrage hæc verba dicantur. Cum fremitu, inquit, & inſultatione victoris in Ægyptios inſiluiſti, & quaſi calcibus hoſtem protriuiſti, perinde ac ſi in area paleæ tererentur: id enim propriè Hebræum verbum דוש ſignificat minutatim concidere atque cõfringere. Quod idem facies vbi ad populũ tuum denuò redimendum adueneris: hoſtes namque

que tuos, & populo tuo infeſtos ita delebis atque conſumes, vt ſi eos vi & indignatione maxima ſub pedibus poſitos protereres atq; conculcares. Lxx. verò pro eo quod nunc eſt in Hebræo תצעד, vltimæ litteræ paruo diſcrimine legerunt תִּצְעַר. *In comminatione imminues terram.* quod poteſt & de terra Chánaan, & de terra Ægypti dictum intelligi, quam tanto exercitu demerſo attenuauit atque comminuit. aptè verò hæc duo coniunxit, comminationẽ Dei, & imminutionem terræ:nã attenuatio diuinæ eſt maledictionis & comminationis effectus: itaque rectè Salomon in Prouerbiis, *Egeſtas ſeu maledictio à Domino in domo impij: tabernacula autem iuſtorum benedicentur.* à quo enim Deus auerſus eſt, feliciter illi ſuccedere nihil poteſt. Sequitur in Lxx. *& in furore detrahes gentes.* Verbum κατάξεις non rectè vertit interpres: nam cùm vtrumque ſignificare poſſit, detrahes, &, cõfringes, pro loci varietate nũc hoc, nunc illo modo transferendũ eſt. in hoc autem loco vertendũ fuiſſe, confringes, ex Hebræo תדוש intelligitur, vnde alter interpres vertit μετὰ ὀργῆς ἀλοήσεις ἔθνη, cum ira triturabis gentes. itaq. Heſychium non ſatis probo, qui verbum κατάξεις per verbum ὑποτάξεις declarãdum putauit. Fuerat enim exponendum καταπατήσεις, καταλεανεῖς, conculcabis, commoles. Sed ferè omnes aliter habẽt, aut enim, deiicies, aut, detrahes, aut, depones tranſtulerunt.

Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo. percuſſiſti caput de domo impij: denudaſti fundamentum eius vſque ad collum.

Sicut olim vt ſalutem populo tuo dares, eumq; à ſeruitute Ægyptiorum eriperes, ad pugnam egreſſus es cum Chriſto tuo, Moyſen tamquam ſalutis dandæ mediatorem aſſumens, & caput ac principem Pharaonem de domo atq. familia impij generis percuſſiſti, totamq; eam domũ ab imis fundamentis concuſſam euertiſti vſque ad collum, hoc eſt, vſque ad quemlibet alium qui emineret & extaret ſupra ceteros, ac vim efficiẽdi haberet: ad eumdem quoque modum iterum exibis vt populo te colenti feras auxilium, & alterum mediatorem Dei & hominũ Chriſtum IESVM comitem tantæ expeditionis & pugnæ adhibebis, vt de impietatis domo ac genere caput ac principem Diabolum conteras, & quicunque ex ea domo ſupra ceteros, tamquam in humano corpore collum, eminet, proculcabis, & eius adiumenta, quibus tamquam fundamentis nititur, denudabis, & ex imis ſedibus euertes; Antichriſtum nempe primogenitum Satanæ, & eos qui illi adhærebunt, eiq; præſidio erunt. aut etiam gentilium & infidelium hominũ principes & impios Imperatores, qui potentia, opibus, exercitu ſubnixi, ſupra ceteros erunt, & in principis ſeculi huius domo cenſebuntur, &

cerui-

ceruices aduerſus Deum & Dominum omnium erigent. Hi enim verè colla impij corporis dicuntur, quæ verus Iſrael calcat, vt ait Moyſes, *Negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis.* Deut. 33. Significanter autem dictum eſt, egreſſus es, tamquam ad bellum gerendum profectus: aut ex occulto & abdito apparuiſti: vt quidam interpres vertit *ἀνεφάνης ἐπὶ σωτηρίᾳ τοῦ λαοῦ σου.* apparuiſti in ſalutē populi tui. Ceterùm quod cōſequenter in Græcis Codicibus legitur, *Vt ſaluares Chriſtum tuum*, id neque LXX. interpretum eſt, cùm à B. Hieronymo Theodotioni & Symmacho tribuatur, & ab eodem, tamquam de paupere ſenſu, hoc eſt, vt ego interpretor, de Ebionitarum dogmate depromtum, iure de Sacrarum litterarum cenſu remoueatur. Ebionitæ namque Hebræa voce pauperes vocantur. Aquila porrò vertit, *in ſalutem cum Chriſto tuo*, quem ſecutus eſt in hac parte Hieronymus. LXX. verò multitudinis numero tranſtuliſſe, *vt ſaluares Chriſtos tuos*, idem auctor confirmat, Cyrillus quoque in Cōmentariis & Heſychius, qui ſic exponit, *οὓς ἐν τῷ αἵματι τῆς σῆς θυσίας ἔχρισας.* quos ſanguine tuæ hoſtiæ vnxiſti: & Theodoritus qui hunc locum exponens ait, *Χριστοὺς δὲ καλεῖ τοὺς τῆς πίστεως ἀξιωθέντας καὶ πιστῶς δεξαμένους τὸ κήρυγμα, καὶ τῆς τοῦ θείου πνεύματος χάριτος ἀπολαύσαντας.* Chriſtos autem vocat eos qui fidem conſecuti ſunt, & fideliter prædicationem

N

nem acceperunt, & diuini ſpiritus gratiam adepti ſunt. Sic Auguſtinus quoque legit, & Tertullianus lib. 4. aduerſus Marcionem, & Euſebius de Demonſtratione Euang. lib. 4. & Romana etiam editio ſeruat. quamobrem reponendam veterem impreſſorum lectionem iudico, vbi de Lxx. verſione certum eſt. Sexta editio, vt refert B. Hieronymus, prodens manifeſtiſſimè ſacramentum, ita vertit ex Hebræo, Egreſſus es vt ſaluares populum tuum per IESVM Chriſtum tuum. Hæc varietas lectionis, non in Græcis modò interpretibus, verùm etiam in ipſo Hebraico eſt. itaque ex doctoribus Hebræorum, qui multitudinis numero nimirum legerunt, Chriſtos Saul & Dauid intelligunt: qui verò vnitatis numero, ex iis aliqui Moyſen, aliqui verè Chriſtum Filium Dauid accipiunt, quos libenter amplectimur. Porrò in eo quod dictum eſt, *Percuſſiſti caput de domo impij*, caput vel ipſum Pharaonem accipere poſſumus, vel eius primogenitum, quem cum ceteris Ægyptiorum primogenitis interfectum eſſe non dubium eſt. Et domum, rectè familiam ac genus intelligimus, iuxta illud è Prouerbiis cap. 15. *Domum ſuperborũ demolietur Dominus*. Porrò quod ſequitur, *Denudaſti fundamentum eius vſque ad collum*, aliqui ſimpliciter dictum volunt, muros ac turres hoſtilium ciuitatum ab ipſis fundamentis vſque ad ipſa faſtigia & altitudinem euertiſti. Sed

mihi

mihi meliùs illi intelligere videntur qui figuratè fundamentum & collum accipiunt: nam quia fundamentum in ædificatione firmiſſimum eſt, non abſurdè vires & auxilia, quibus principes nituntur, fundamentũ dici poſſunt. vnde is quoque qui in Chaldæum tranſtulit, cõfregiſti, inquit vires eorum. Ac ne quiſpiam auctorẽ vtpote Iudæũ reſpuat, ipſius Scripturæ teſtimonio expoſitio cõfirmanda eſt. *Erit*, inquit Ezechiel, *pauor in* *Ezech.30.*
Æthiopia cùm ceciderint vulnerati in Ægypto, & ablata fuerit multitudo illius, & deſtructa fundamenta eius: eaq; fundamenta paulo pòſt quaſi declarans, *Corruent*, inquit, *fulcientes Ægyptum.* Auxilia igitur & copiæ & cetera adiumenta quibus inſiſtunt regna, quibuſq; fulciuntur, ea figuratè fundamenta vocãtur. Quod verò ſequitur, vſque ad collum, idem Chaldæus interpres conciſè, & cum defectu dictum putauit, ſic namque nonnullis additis expreſſit, Pedes populi tui ſuper colla inimicorum tuorum: ac videtur ad factum illud hæc verba retuliſſe, quod in libro Ioſue deſcriptũ eſt, cùm quinque Chananæorum Regum colla Iſraëlitæ pedibus conculcauerunt. Sed ſine tot verborum ſupplemento, collum eos dici putaui, qui dignitate aut potentia ſupra ceteros eminent; in qua expoſitione auctoritatem LXX. interpretum ſecutus ſum, qui in Eſaia, quod ex editione Latina legimus, Adducet Dominus aquas flumi- *Eſaia 8.*

 nis

» nis fortes & multas Regem Aſſyriorum, &
» omnem gloriam eius:& aſcendet ſuper om-
» nes riuos eius,& fluet ſuper omnes ripas eius;
» & ibit per Iudam inundans & tranſiens; vſ-
» que ad collum veniet, id quia obſcuriore
tranſlatione dictum putabant, & pænè æni-
gma videbatur, propriis verbis illuſtrare vo-
» luerunt: verterunt itaque, Et auferet à Iudęa
» hominem, qui poſſit caput leuare, aut confi-
» cere aliquid valeat. ergo eadem veſtigia ſe-
cutus, colli nomine eos ſignificari exiſtima-
ui, qui leuare caput poſſint, & audere aliquid
ac moliri, qui prę ceteris exſtant & eminent,
aut qui ſuperbia efferuntur, & in ſublime
ſe erigunt.

In LXX. verò hic locus ad hunc modum legitur: *Miſiſti in capita impiorum mortem: ſuſcitaſti vincula vſque ad collum* quãuis enim in Vaticano Codice ſit βαλεῖς, mittes, tamen alij codices Græci habẽt ἔβαλες, miſiſti: quorum lectionem ſequitur editio Romani pſalterij, B. Hieronymus, B. Auguſtinus, Tertullianus libro 4. cõtra Marcionem, & ex Græcis Theodoritus. Et quod in Hebræo nunc legitur מבית, de domo, ipſi legerũt מות, ideóque tranſtulerunt mortem. Ceterùm quod dixerũt, miſiſti ἔβαλες, non ita ſimpliciter intellexerunt, ſed verbo βαλεῖν vſi ſunt, vt ſic miſiſſe ſignificarent tamquam βέλός τι, & iaculum ſagittamq; mortiferá. ſcilicet in Hebræo verbo מחץ ineſſe vim ac ſignificationem

nem חץ,hoc eſt,ſagittæ putauerũt. quod non
in hoc loco tãtùm, ſed etiam in Numeris ab Num.14.
eis factum deprehendimus,vbi illorum ver-
ſionem nemo non probet, ταῖς βολίσιν αὐτοῦ
κατατοξεύσει ἐχθρὸν,inquit Balaam de popu-
lo Iſraël verba faciens. nam illud idem He-
bræum verbum quod hic tranſtulerunt βα-
λεῖς, ſeu ἔβαλες miſiſti, ibi verterunt κατάτο-
ξεύσει ſagittis feriet. Verũ eſt ergo quod di-
ximus, miſiſti in caput impiorum mortem,
hoc eſſe, feriiſti caput impiorum letifera ſa-
gitta: congruit etiam iis quæ ſuperiùs dixit,
in quibus quia iaculo & ſagittis fulgentibus
Deum armauit, conſequenter quid illis ſa-
gittis effecerit exequitur. itaq. multò ſignifi-
cantiùs eſt ἔβαλες,quàm,quod aliqui codices
habent, ἐπεμψας, illud enim iaculandi vim
habet, hoc mittendi. Deinde, ſuſcitaſti, in-
quit, vincula vſque ad collũ. ſuſcitaſti quaſi
iacẽtia priùs& otioſa vſq.ad collũ ſuperborũ
hominum excitaſti & extuliſti. à victoribus
autem tranſlatio ducta eſt, qui catenatos in
triumpho captiuos ducunt. Aut fortaſſe col-
lo innexa vincula figuratè rubri maris aquas
intellexerũt, quibus etiam collum ſuperan-
tibus obruti ſunt, & quodammodo vincti,
ne ſe fuga poſſent eripere,quod moliebãtur,
cùm dicerent, *Fugiamus Iſraëlem, Dominus* Exod.15.
enim pugnat pro eis contra nos: quod aliùs in-
terpres expreſſit,qui ſic vertit,ἕως ἀβύσσου τῆς
θαλάσσης καταδύσονται,vſque in profundum

 maris

maris demergentur. Deinde acclamatio interponitur, quam non vt aliàs ſolet, διάψαλμα, ſed in finem tranſtulerunt, confirmatem ea quæ dicta ſunt & approbantem.

Maledixiſti ſceptris eius, capiti bellatorũ eius, venientibus vt turbo ad diſpergendum me: exultatio eorum, ſicut eius qui deuorat pauperem in abſcondito.

Maledixiſti ſceptris ac tribubus eius impij, de quo ſuperiùs dictum eſt, Percuſſiſti caput de domo impij, quem Pharaonem eſſe iam diximus, quamuis alij quẽlibet impium Regẽ & populo Iſrael infenſum exiſtiment. neque ſolùm ſceptris eius & tribubus maledixiſti, verùm etiam præcipuis eius bellatoribus ac ſtrenuis viris, aut capiti, hoc eſt, aciei & ordini bellatorum eius, qui ad me populum tuum diſpergendum, & tamquam ex area paleam ventilãdum ac diſſipandum, & in diuerſas oras captiuum ducendum veniebant: qui ſuis viribus freti ſuperbè iactabant ſe toto ore pauperem Iſraelis populum deuoraturos, te nec vidẽte, neque rationes admiſſi ſceleris repoſcente. Hoc namque animo Pharaonem & eius exercitũ veniſſe, idq́; de ſe inſolẽter iactaſſe, in Moyſi Cantico deſcriptũ eſt: *Dixit inimicus perſequar & cõprehendã, diuidã ſpolia, implebitur anima mea, euaginabo gladium meũ, interficiet eos manus mea.*

Viam feciſti in mari equis tuis in luto aquarum multarum.

Ex his verbis adeò manifeſtum eſt de mari rubro ſermonem eſſe, vt confirmatione opus nō ſit, ſed tamen eadem de re pænè iiſdem verbis dictum eſt in Pſalmo 76. *In mari via tua, & ſemitæ tuæ in aquis multis:* quod duplicem expoſitionem patitur. nam mare ſimpliciter accipi poteſt, per quod equis ſuis & currui viam dedit, cùm ſtipatus angelico ſatellitio Deus per mare tranſiit: vel nomine maris figuratè ille Ægyptiorū exercitus accipitur, iuxta illud Iſaiæ 17. *Væ multitudo populorum vt multitudo maris ſonantis; & tumultus turbarum ſicut ſonitus aquarum multarum.* Quòd ſi mare figuratè intelligendum putamus, conſequenter & lutum aquarum multarum, illam confuſi exercitus atq. turbati colluuionem accipiemus, quam diuini illi equi calcantes turbarunt atque confuderunt. In quem ſenſum aptiſſimè Lxx. verterunt, conturbantes aquas multas: quamuis Hebræi חמר hoc loco non lutum, ſed aceruum & cumulum ſignificare dicant; vt ſit, Viam feciſti in mari equis tuis, in cumulo aquarum multarum. Iam quid in Lxx. diuerſum ſit videamus: *Diuiſiſti in ſtupore capita potentium: commouebuntur in ea. aperiēt frenos ſuos, ſicut comedens pauper in abſcondito.* quorum verborum hunc puto ſenſum eſſe. Confregiſti ſeu præcidiſti (vt Romana habet editio) capita potentium in ſtupore ſeu alienatione, vt ſi quis vidiſſet, cędis magnitudine

ſtuperet atque expaueſceret. Sed quia verbum Hebręum במקיו non tam pauorẽ, quàm *σάλον* & *κλίσιν* fluctuationẽ & inclinationẽ ſignificat, fieri poteſt vt Lxx. dixerint *ἔκστασιν* illam trepidationem cùm ę ſuis quiſque locis milites mouerentur & fluctuarent. itaque hic ſenſus erit poterit, Diuiſiſti atque confregiſti capita potentium ſtrenuorumq́; militũ in fluctuatione & inclinatione, quum turbatis ordinibus fuſa eſſet acies; & locum ſuum vnuſquiſque relinqueret. Sed ſi cauſam & originẽ diuerſæ huius interpretationis accuratiùs indagemus, ſimul etiam verus ſenſus apparebit: Illi enim non legerunt in Hebræo vt nunc legitur במטיו, cùm in numero multitudinis non ſoleat hoc nomen hoc modo proferri, ſed משתיו, quod ad Lxx. defendendos non exigui momenti eſt, ſed legerunt בתמה, ſeu בתמהון, vel aliquid ſimile, à verbo תמה, cuiuſmodi nomina ſolent *ἔκστασιν* vertere. & locus ſimilis eſt in Zachariæ cap. 12. *πατάξω πάντα ἵππον ἐν ἐκστάσει, καὶ τὸν ἀναβάτην αὐτοῦ ἐν παραφρονήσει. Percutiam omnem equum in ſtupore, & aſcenſorem eius in amentia.* ergo *ἐν ἐκστάσει* hoc loco Abacuc, idem eſt ac ſi dixiſſet, in amẽtia: cùm amentes & furentes in mare rubrũ ingreſſi eſſent, & temerario atque inſano impetu Iſraëlitas, propter quos maximis cladibus affecti fuerant, inſequerentur, & in eòs laxis habenis tamquam præcipites equi ferrentur, tũ præcidiſti

cidiſti atque confregiſti capita potentium. Tale aliquid in Pſalmo 73. de Pharaone & eius ducibus legitur, Tu confirmaſti; ſeu, vt in Hebræo eſt, Diuiſiſti in virtute tua mare, contribulaſti capita draconum in aquis. Tu confregiſti capita draconis, dediſti eũ eſcam populis Æthiopũ ex quo intelligimus etiam hunc Prophetæ locum eſſe de Pharaone & ducibus Ægyptiorum accipiendum, qui in mari rubro extincti ſunt. *Commouebuntur in ea.* in ea nempe ἐκστάσει & fluctuatione ac trepidatione, aut potiùs in ea inſania, cùm amentes toto impetu ad Iſraelitas inſequendos ferrentur, aquis ſuper eos derepentè irruentibus rapientur, & tãquam turbinis impetu tranſuerſi agẽtur. nam σεισθήσονται, hoc eſt procellæ corripientis impetu iactabũtur. In iis verò quæ ſequuntur, variant exemplaria Græca: in pleriſque legitur, διανοίξουσι τοὺς χαλινοὺς αὐτῶν, vnde fluxit illa interpretatio qua B. Hieronymus vtitur, aperient frenos ſuos; & illa qua B. Auguſtinus, adaperiẽt morſus ſuos. nõnulli verò codices Græci habent, ἀνοίξουσι τὰς ἡνίας αὐτῶν. vnde in Romana editione legitur, adaperiẽt ora ſua; ſed corruptè vt puto, cùm legẽdum ſit, lora ſua, id enim eſt ἡνίας αὐτῶν. deinde in Græcis pleriſque ſic legitur, ὡς ἔσθων πτωχὸς λάθρα. quã lectionem & Græci expoſitores, vt Cyrillus, Heſychius, Theodoritus, Theophylactus; & Latini Patres, vt B. Hieronymus, B. Auguſti-

 nus,

nus,& editio Romana ſequitur. in nonnullis verò Græcis exemplaribus eſt, vt opinor, ex aliqua alia interpretatione, ὡς τρώγων πτωχὸν ἐν ἀποκρύφῳ, vt comedẽs ſeu vorans pauperẽ in abſcondito. quæ lectio quia cum Latina B. Hier. verſione conuenit, cùm Latiná vulgatá editionẽ explicarem⁹, ſatis expoſita eſt.

Antequam verò hunc locum iuxta Lxx. interpretationem explanemus, quiddam admonendum eſt, quod licet minutum ſit, tamen ad ſententiam percipiẽdam vim habet haud exiguam; in omnibus codicibus Græcis coniunctionem eſſe in verbo quod ſequitur, Καὶ ἐπιβιβᾷς εἰς θάλασσαν τοὺς ἵππους σου. quam cõiunctionem etiam B. Hieronymus, & B. Auguſtinus, & Theophylactus agnoſcunt: cuius coniunctionis in Sacris litteris ea vis eſt ſæpiſſimè, vt dum ea quæ dicta ſunt fiunt, ſtatim aliud contigiſſe ac factum eſſe, & duas res eodem tempore cõueniſſe ſignificet: quam ſignificationem hoc quoque loco habere puto, maximè cùm in Hebræo ſit ל, cuius litteræ eadẽ vis eſt in ea lingua nonnumquam, vt in Pſalmo 101. de Angelis, facientes, inquit, verbum illius לשמע ad audiendã vocem ſermonũ eius, hoc eſt, ſtatim atque audierint vocẽ ſermonũ eius. Sic ergo Lxx. hunc locum intellexiſſe puto: Pharao, & duces exercitus eius, de quibus ſermo erat, aperuerunt frenos ſuos, ſeu lora ſua, & laxauerũt habenas, vt velociùs Iſraëlitas fugientes

tes aſſequerentur, & dum vorare parant Iſraelẽ toto ore, vt ſolet pauper fame affectus cibum velociter edere, idq; ſe latenter faceie poſſe putant, quaſi Deus neque id curaret, neque aſpiceret, ſtatim immiſiſti in mare equos tuos, & illorum equis præcipitanter Iſraëlitas inſequentibus, tuum equitatũ oppoſuiſti, ac tanto impetu in eos admiſiſti, vt turbaret aquas multas, & è fundo imo lutũ & arenas commoueret, & fluctibus maximis ciret. quod vel figuratè dictum eſt, vt hac, velut euidẽti imagine maxima in Ægyptiis obruendis Dei potentia tamquã oculis ſubiiceretur; vel equos Dei Angelos virtuteſq; ſublimes intelligi voluit, iuxta illud: *Currus Dei decem millibus multiplex millia lætãtium:* His igitur quæ tam admirabili Dei potentia geſta ſunt olim in mari rubro, alia non diſſimilia in aduentu Chriſti eſſe gerenda prędicit: neque enim hæc prophetia ad Zorobabel, & Ieſum filium Ioſedech Sacerdotem, & Nehemiam, quorum ætate & ductu multi ex Iudæis è ſeruitute liberati, in terram Iſraël redierunt, referenda eſt: nam etſi non ſine magna Dei potentia factum ſit, vt ſublato Chaldæorũ imperio Cyrus & Darius rerum potirentur, tamen neque res geſtæ adeò admirabiles fuerũt, vt cum iis miraculis: quæ hucuſque in hoc Cantico ſunt commemorata, cõferri poſſint: neque illi ita à ſeruitutis iugo dimiſſi ſunt, vt ſui iuris eſſent, & regnũ

libe-.

liberum obtinerent. Igitur ad Chriſti tempora hæc oracula reſpiciunt, cùm plena Dei populus libertate donatus eſt, quum redemtus de poteſtate tenebrarum, & tranſlatus in regnum filij dilecti Dei, qui principatus & poteſtates traduxit confidēter, palàm triumphans illos in ſemetipſo; in quarum poteſtatum caput ac principem Diabolum mortis iaculum coniecit, ne vſurpatum in hoc ſæculo dominatum vlteriùs retineret, néve per Idolorum cultum ſibi gentes ſubiiceret: [illegible] præterea ceruicem tumentem ſuperbiæ toris, & aduerſus Deum Dominumque ſuum erectam, vinculis iugoq; ferreo compreſſit, & vi maieſtatis ſuæ ſæuiſſimi prædonis audaciam fregit. Potētium quoque capita in ſtupore & alienatione diuiſit, cùm Principū ſæculi ac Regum vires & potētiam infirmauit, adeò vt omnes ſtupeant & mirentur tantam eorum rabiem, tam aduerſus pios homines efferatam ita facilè concidiſſe, neque contra eos Neronis, Domitiani, Decij, Valeriani, Maximiani, Iuliani coniunctam cū religionis noſtræ odio poteſtatem, aliquid valuiſſe; quin immo tum cùm maximè eorū ira ferueret, & laxis imperij poteſtatiſq; ſuæ habenis contra ius, contra fas in hominū piorum cædem præcipites ferrentur, & edictis teterrimis propoſitis proſcriptionibus, exiliis, carceribus, cruciatibus, cædibus deterrere ſe à ſuſcepta religione homines putarent, ac rabido

bido furore quaſi apertis faucibus deuoraturos Dei populum comminarentur, neq; diuinam vim eſſe vllam exiſtimarent quæ hæc ſcelera videret ac vindicaret, tum virtutem ſuam furentibus oppoſuiſſe, & ſanctorum Apoſtolorum ac Martyrum conſtantiam atque fortitudinem, & obſequentium ſibi Angelorum miniſterium táquam firmiſſimum equitatũ perſequentibus obieciſſe, & in huius ſæculi mare immiſiſſe, vt inſtabiles populorũ vndas, & æſtuantes fluctus pedũ ſuorum veſtigiis ſubderent atque calcarent. Sic Euſebius Cæſarienſis in Pſal. 45. hunc locum explicauit, ἵππους, inquit, προσηγόρευσεν ὄχημα θεῖον γεγενημένους τοὺς θείους ἀποστόλους. ἐπ' αὐτοὺς γὰρ ὀχούμενος ὁ δεσπότης τὰ πολλὰ καὶ διάφορα τῆς ἀσεβείας δόγματα διεσκέδασεν. Equos appellauit in diuinum illum currũ ſubiunctos ſanctos Apoſtolos, quibus cùm Dominus noſter veheretur, multa & varia impietatis dogmata diſperſit. Hæc ſunt quæ tanto Propheticorum verborum ponderi reſpondẽt, quorum ſimilitudo in iis miraculis quæ cõmemorata ſunt tanquam in figuris & vmbra præceſſit: nam ſi illam per Cyrum datam à Babylonica ſeruitute liberationem in hoc Cantico promitti putauerimus, quid ſimile habuit illa redemtio, vt ei tantus verborum ſplendor, tanta rerũ geſtarum admirabilitas conueniat? neque verò opus eſt ire per ſingula: conſideret quiſque huius Cantici verſus,

ſus,&cum illa populi Iſrael à Babyloniorum dominatu liberatione conferat, ipſe ſibi fidẽ faciet longè præſtãtiora promitti, quàm quæ nunc geſta ſint; ne ipſi quidem Hebræi, licet litteræ nimium áffixi, prophetiam hanc de liberatione per Cyrum facta intelligũt; quia tantam rerum verborumq; maieſtatem illi non conuenire certò ſciunt: Fingunt itaque potiùs ſibi ſomnia quædam, & huius exitum prophetiæ in Chriſti ſui aduentũ reiiciunt; cùm Gog & Magog iuxta prædictionẽ Ezechielis in Ieruſalem aſcendẽt, & ibi per Dei potentiã conſumẽtur. Qua in re licet errent in tempore, cùm adhuc futurum expectent; non tamen errant in perſona, cùm ad Chriſtum Filium Dauid omnia quæ hîc dicũtur pertinere ſentiant. Illud reliquum eſt, vt videamus vnde inter LXX. & B. Hieronymi editionem tanta ſit orta varietas, vt hic quidem verteret; *Venientibus vt turbo ad diſpergendũ me: exultatio eorum*, & quæ ſequuntur. Illi verò, *Cõmouebuntur in ea: aperient frenos ſuos.* ac venire vt turbinẽ, & commoueri ex eiuſdẽ Hebraici verbi סער origine manaſſe cuiuis facile eſt intelligere. Quod verò ſequitur in editione B. Hieronymi, *ad diſpergẽdum me*; & in editione LXX. *aperient*, ex diuerſa Hebraica lectione diuerſa interpretatio fluxit: ille enim à verbo פוץ diſpergere tranſtulit, hi à verbo פצה verterunt, aperire. Sed id cuiuis Hebraicis litteris mediocriter imbu-

imbuto perſpicere facile eſt; illud difficilius, vnde tranſtulerint χαλινοὺς frenos, ſeu, vt nõnulli codices habent ἡνίας habenas, ſeu lora, cũ עטם, iod על quod audaciã & iactantiã ſeu exultationem ſignificat, nihil habeat cũ loris aut habenis cõmune. Puto igitùr Lxx. non עליצותם legiſſe, ſed מצילותם, quod nomen in Hebraicis codicibus non niſi ſemel tantùm legitur, nempe in Zachariæ cap. 14. B. Hieronymus vertit, In die illa erit quod ſuper frenum equi eſt, Sanctum Domino. & Lxx. ſimiliter: quamuis ibi Hebræi dicant non eſſe propriè frenum, ſed phaleras & ornamenta equorum. Sed Lxx. vt antiquioribus & linguæ peritioribus magis credendum eſt.

Audiui, & conturbatus eſt venter meus; ad vocem contremuerunt labia mea: ingrediatur putredo in oßibus meis, & ſubter me ſcateat: vt requieſcam in die tribulationis, vt aſcẽdam ad populum accinctũ noſtrum.

Hactenus Propheta redemtionem populi Dei futuram, & modum redemtionis illuſtrem, & nihil ab illo quo olim ab Ægyptiorum dominatu liberati ſunt, diſſimilem fore prædixit, & ampliſſimis verbis ſplendidiſſimiſq; ſententiis expreſſit: quæ omnia erigere potiùs animum & lætitia perfundere poterant, quàm abiicere. Quid igitur dicit, audiſſe ſe & conturbatũ eſſe animo, & ad eiuſmodi vocem præ timore labia ſua contremuiſſe? id enim cum iis quæ hucuſque dicta

ſunt,

ſunt, non ſatis cohærere videtur. Quæ hoc loco dicuntur, tædet referre, neque opus eſt, niſi nullo fructu velimus lectoris animũ opinionum varietate confundere: ſed tamen præcipuas ſententias ſine culpa negligentiæ prætermittere non poſſumus.

Nonnulli enim aiunt Prophetam in ea viſione quæ illi oſtenſa eſt, de qua cap. 2. legimus, Scribe viſum, &c. cùm liberandi populi oraculo ſimul audiſſe quàm grauibus malis oppreſſores populi Dei vexandi eſſent & affligendi, de qua re per totũ ferè Canticum agitur: quamobrem etiam in hoſtium & inimicorum calamitate miſericordia commotum dixiſſe, *Audiui, & conturbatus eſt venter meus*, & quæ ſequuntur. Alij hæc ipſa admiranda Dei opera quæ hucuſque proſecutus eſt ex Propheticis ſcriptis & traditione maiorum audiſſe illum dicunt, & cogitatione diuinæ maieſtatis aut iræ in Ægyptios oſtenſæ cõmotum eſſe, & metu ſiue religioſo ex cõſideratione diuinæ maieſtatis, ſiue ex miſericordia & humanitate & cõmunis conditionis cogitatione depromto perculſum ac territum. Alij firmiorem expoſitionem afferunt, & cum iis quæ ſuperiùs dicta ſunt, magis cohærentem, non incertis & ex ingenio depromtis opinionibus vacillantem: nã auditum oraculum inquit, ſuper quo cõturbatus eſt Prophetæ, ſeu cuiuſcunque iuſti viri venter atque animus: illud eſt de quo capite

primo

primo dixit Propheta, *Ecce ego ſuſcitabo Chaldæos, gentem amaram & velocem, ambulantem ſuper latitudinem terræ*, & quę ſequuntur. His Dei cõminationibus cladem populo Iſraël, & iugum Chaldæorum & in Chaldæis multorum præterea impiorum Regum denunciantis territum ſe Prophetam dicere, & pauore commotum pæne deſperaſſe tam validis, tam potẽtibus hoſtibus poſſe reſiſti, cùm populus Dei vires tantas non habeat, vt ſe ab hoſtibus defendere queat, & viribus ſit effœtis, vt arboribus quæ ferendis fructibus humorẽ ſuppeditare non valent, aut terris quæ propter ſterilitatẽ ſoli fruges nullas pariunt, & præterea caulis & præſepibus eorũ vrbes ſint perſimiles, in quibus raræ ſint oues aut boues. Quamuis autẽ infirmus ſit & ad pugnam cum hoſtibus ineundam impar; eo tamen Dei potentiam clariorẽ fore, & eo magis illum non ſuis viribus, quæ exiles admodum ſint, ſed Dei potentiæ & auxilio victoriam adſcripturum, & illius gloriam atq; fortitudinem prædicaturum: quo magis omnibus humanis auxiliis atque præſidiis deſtitutus, potentiam tamen Regum impiorum, & furẽtium populorum impetus vicerit atque ſuperarit. Atque huius Cantici extremæ partis hæc fere ſumma eſt; quam cùm ſemel totam ſub aſpectum quodammodo propoſuerimus; nunc per ſingula diligentiùs perſpicienda & examinanda eſt. *Audiui & conturba-*

Prou. 14. *turbatus eſt venter meus.* Audiui quæ populo tuo peccanti interminatus es, cùm dixiſti, *Ecce egò ſuſcitabo Chaldæos, &c.* aut, Audiui quæ pœna Regem Babylonium, & ceteros populi tui hoſtes maneat, & animo totus cõtremui & turbatus ſum: ideo autem vẽtrem vocauit ipſum animũ; quia vt in ventre interanea, ſic in animo intimæ cogitationes cõtinentur. Vnde aptè ad vẽtris figuram reſpicientes Lxx. non, Audiui, ſed, Cuſtodiui dixerũt, hoc eſt, in intimis animi penetralibus ſeruaui & condidi: videlicet non שמעתי legerunt, ſed שמרתי. quem intimum terrorem vt exteriore aliquo indicio declararet, *ad vocem* inquit, *contremuerũt labia mea*, ita vt trementibus labiis, & frequẽter inter ſe colliſis verba perfectè formare non poſſem. Sed conſequens erat vt ad vocẽ aures potiùs ſuas contremuiſſe diceret quàm labia. nam ad vocis vehemẽtioris & validioris quàm ferri poſſit appulſum aures contremiſcere & reſonare, non labia ſolent: idque præterea magis ex Scripturæ conſuetudine dictum eſſet, in qua ſæpè illa loquendi forma legitur, *Omnis qui audierit, tinniẽt ambæ aures eius.* Sed quia non modò diuinæ vocis auditor erat, verũ etiam Prophetæ perſonam ſuſtinebat, & ea quæ in ſecreto & ſolus audierat, aliis ex munere prophetico nunciabat, ex publico prophetiæ munere timorem ſuum ſignificare, quàm ex priuato merito maluit: nihil mirum eſt, inquit,

quit, ſi palpitantibus labiis, trementi lingua vix quæ audiui eloquor, cùm intimus pauor perfectè verba formare non ſinat, & vocem faucibus hærere cogat.

Ingrediatur putredo in oßibus meis, & ſubter me ſcateat: vt requieſcã in die tribulationis, vt aſcendam ad populum accinctum noſtrum.

Hæc verba ad modum optantis dici beatus Hieronymus intellexit. Nõ modò terrorem tuæ comminationis libenter patior, verùm etiam aliud vltrò appeto, & vltro deſidero vt ipſa quoque oſſa tabefiant, & ſtratum meum putredine corporis & innumeris vermibus ſcateat, dum tamen requieſcam in die tribulationis, & aſcendam ad populũ accinctum noſtrum; hoc eſt, inquit, cum ſanctis tuis Zorobabel & Ieſu filio Ioſedech in terrã repromiſſionis reuertar. Sed tamẽ ipſe fatetur violentam eiuſmodi expoſitionem eſſe, & in captiuitatẽ ſe traxiſſe ſententias nõ ſequentes. Poteſt ergo quod tanquam futurũ dixit de preterito intelligi; vt, ingrediatur, perinde ſit ac ſi dixiſſet, ingreſſa eſt putredo in oſſibus meis, quo modo Lxx. verterunt, *Ingreſſus eſt tremor in oſſa mea.* Putredinem verò in oſſa ingreſſam illam anxietatem animi & ſolicitudinẽ ex illo auditu terribili venientem accipimus, qua ſollicitudine, tanquã verme ligni medullas exedente, tabefacta oſſa ſua dicit, vt eſt in Prouerbiis ex editione Lxx.

Prou. 14. *Tinea oſsium cor ſentiens.* Quid autem voluerit B. Hieronymus exprimere cùm tráſtulit, *& ſubter me ſcateat*, ex eius expoſitione ſatis intelligitur: Statum meũ, inquit, vermibus ſcateat. Sed aliàm Hebræàm vocem habuit in ſuo codice fortáſſe ירחש. neque eſt prætermittendum quod eſt in Hebræo, præſertim quia verbum aptè admodum rei de qua loquitur Propheta, quadrat. Subter me cõtremui, inquit, ac ſi veſtigiis meis firmiteŗ hęrere præ tremore nõ poſſem, & ipſa mihi terra parum ſtabilis ad me ſuſtinẽdum videretur: ad quem ſenſum congruenter dixerũt Lxx. ὑποκάτωθεν μου ἐταράχθη ἡ ἕξις μοῦ, ſub me contremuit ſeu turbata eſt habitudo mea. præ metu ac tremote ſtare loco non potui. ἕξιν autẽ Symmachus tranſtulit עצם in Threnis cap. 4. 5. & videtur ſignificare habitudinem corporis vel ſtaturam. vnde in Pſal. 138. *Non eſt occultatum os meum à te quod feciſti in occulto, & ſubſtãtia mea*, ponitur quaſi ex parallelo קומה. quin etiam ipſi Lxx. ſtaturã ἕξιν habitũ dixerunt primo Regũ 16. *Ne aſpicias vultum eius, neque altitudinem ſtaturæ eius*, μὴ δὲ εἰς τὴν ἕξιν μεγέθους αὐτοῦ. neq; in habitum magnitudinis eius. Poſtremò habitũ pro ſtatura etiam Latinæ hiſtoriæ ſcriptor Liuius ponere ſolet, vt libro 8. *Viſa ſpecies viri maioris quàm humano habitu, auguſtiorisq́.* quod ſi quis miretur, cur אשר ἕξιν dixerint, is ſciat velim אשרי veſtigia, & τὰ ὑποϱθοῦντα quæ ſubrigunt

rigunt hominem, id eſt, tibias nonnunquam dici, vnde habitus & ſtatura non abſurdè eodem nomine ſignificari Lxx. cenſuiſſe non mirum.

Vt requieſcam in die tribulationis, vt aſcendam ad populum accinctum noſtrum.

Quid de hoc loco ſenſerit B. Hieronymus, proximè dictum eſt. Hebræi verò longè aliter. ac primùm, cauſam in his verbis reddi putant, cur tantopere ab auditu illo Propheta pertimuerit. Sibi namque perſuaſerunt, ſe poſteaquam è ſeruitute gentium Chriſti ſui quem adhuc expectant, ope liberati fuerint, & in terram Iſrael redierint, ſtatim alio bello in terra ſua excipiendos, & Gog & Magog maximo exercitu aſcenſuros, vt gentem Iudæorum penitùs excindant. quorũ ſententia vt intelligi poſſit, ſic vertere liceat ad præſens Hebraica verba, vt requieſcam in diem tribulationis. ad aſcendendum ad populum, accinget eum. Ea verba ſic explicant: Vt requieſcã in die tribulationis: hoc eſt, inquiũt, pro eo quod putabam ac ſperabam fore, vt poſteaquam reuerſus eſſem in terrã meam, requieſcerem: res in contrarium vertit, nam requies mutata eſt in diem tribulationis. *Ad aſcendendum*, vt hoſtes mei nempe aſcẽdant, ad populum, nempe aduerſus Iudæos gentemq; meam: accinget eum, nimirum hoſtis militem & exercitum ſuum accinget ac ducet aduerſum populum Iſraelis, & aduerſus

 gentem

gentem meam. Si verbum, ad aſcédendum, non ad hoſtes, ſed ad Iſrael ipſum referatur, hunc ſenſum habere dicunt; Poteſtne fieri vt cùm populus Iſrael paulo antè de captiuitate redierit, & nullas adhuc vires collegerit ſed infirmus adhuc ſit, aſcendat ad pugnandum aduerſus populum accinctum, qui accinctos & armatos milites aduerſus eum duxerit? Sunt etiam ex Hebræis qui affirment hæc quæ à Propheta dicuntur, ad illud tempus pertinere, cùm è captiuitate Babylonica
Mich. 7. redierunt, & expaueſcere Prophetam, quod
2. ille populus etiam poſt reditum bellis grauiſſimis inquietandus eſſet. Hęc illi multum à noſtris auribus & litteris abhorrentia. Vt igitur ad noſtra explicanda tandem veniamus, in his verbis cauſam afferri quare tanto timore Propheta perculſus ſit, non dubium eſt: tátam enim tribulationem fore, tantiſq; periculis populum Dei obſidendum, perſecutoribus Eccleſiam hinc inde vaſtantibus, & falſis fratribus carnalibuſque Iſraelitis hoſtili animo fratres oppugnantibus, vt ſibi requieſcendum ſit, & ne aduerſus populũ gentilium & idolis deditorum, & falſorum Iſraëlitarum à quibus impugnètur, aſcendat, deſiſtendum; cùm ſibi nulla terrena adiuméta præſtò ſint, nullis auxiliis fulciatur. Quãuis autem in ſumma futurus ſit omnium rerum inopia Dei populus, in cuius perſona Propheta loquitur, tamen ſalutem omnem & victo-

victoriam de Dei munere expectaturum, cuius opę & auxilio munitus, hoſtibus ſit ſuperior futurus, & nobili triumphalique carmine ſuæ ſalutis auctorem celebraturus. Vt requieſcam, vt aſcēdam, obſcuriùs dictum eſt, clariùs fiat exponendo, vt requieſcam aſcendere, hoc eſt, vt aſcendere deſiſtā: vnde etiam LXX. tranſtulerunt apertiùs ἀναπαύσομαι ἐν ἡμέρᾳ θλίψεως τοῦ ἀναβῆναι εἰς λαὸν παροικίας μου: ceſſabo in die tribulationis aſcendere ad populum inhabitationis meæ: populum accinctum noſtrum, accinctum aduerſum nos, qui ſe aduerſum nos armabit. Quod verò LXX. verterunt, ad populum inhabitationis meæ, vltimam verbi litteram ר legerunt, & populū παροικίας, ſeu inhabitationis itidem hoſtilem populum vndique obſidentem intellexerunt, vt Pſalmo 55. verterunt, *Inhabitabunt & abſcondent, ipſi calcaneum meum obſeruabunt*, hoc eſt, inſidiabuntur abſcondite. & Lamentationum cap. 2. *Vocaſti tanquā ad diem ſolemnem, inhabitationes meas vndique*, hoc eſt, inſidiatores meos: quos B. Hieronymus dixit, qui terrent me de circuitu.

Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis: mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum: Abſcidetur de ouili pecus, & non erit armentum in præſepibus.

Hæc ex Hebræis aliqui ſine figura dici putant, quod cùm ex captiuitate redierint, non ſolùm obſidione vrgendi ſint Iſraelitæ, ve-

rùm etiam intra vrbes copiis omnibus deficientibus famis malo laboraturi, & tamen ab iis malis omnibus Dei beneficio eripiẽdi. Plerique verò figuratè his verbis populi Dei infirmitatem & inopiam ſignificari dicunt: cui licet nullas ad reſiſtendum vires habenti, Dei tamen ſolius munere ac potentia ſalus & de hoſte victoria tribuenda ſit. quam expoſitionem ſuperiùs attulimus. Sed vt aliter quoque hunc locum exponam, ille maximè de Michæa locus admonuit, in quo Iſraelis populum ſub nomine vitis ac ficus de inopia
Mich.7. fructuum accuſat. *Væ mihi*, inquit, *quia factus ſum ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ: non eſt botrus ad comedendum; præcoquas ficus deſiderauit anima mea.* qua inopiæ ſterilitatisq; figura quid intelligat declarans, ſubiicit virtutes ac rectè facta Iſraelitis, nempe carnalibus deeſſe, ea enim eſſe quæ ab illis tamquã à ſuis arboribus Deus exigat: *Periit*, inquit, *ſanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt; omnes in ſanguine inſidiantur: vir fratrem ſuum ad mortem venatur.* & paulò pòſt, tamquam de ingenita virtute degenerantes arbores reprehendens: *Qui optimus*, inquit, *in eis eſt, quaſi paliurus: & qui rectus, quaſi ſpina de ſepe.* Poſtremò ſpem omnẽ ſalutis non in ſuæ gentis rectè factis, quæ nulla eſſe dixerat, ſed in Dei benignitate poſitam dicit. *Ego autem ad Dominum*, inquit, *aſpiciam: expectabo Deum Saluatorem meum.* non diſſimili ratione

tionē Abacuc, poſteaquam in figura ſterilis ficus, & infructuoſæ vitis, & oleæ, & infelicium aruorum, nudam eſſe gentē ſuam fructu bonorū operum docuit, tandem de benignitate Dei totū ſe pendere fatetur, eiuſq; muneri victoriæ ſalutiſq; ſuæ, hoc eſt, ſui populi cauſam omnem aſcribit, dicens: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo.* quæ iam verba ex verorum Iſraelitarum perſona dicuntur, non carnalium, ſed ſpiritalium; non eorum qui ex parte cæcati, ſed reliquiarum quæ ſaluæ factæ ſunt. à quibus poſt aduentum Chriſti carnalis ille populus deſciuit, & tanquam à radice infructuoſi ſterileſq; rami abſciſi ſunt: hocq; illud eſt quo maximè territus contremuerat, & dolore torquebatur, cùm præuideret duas in partes populum illum Dei, in carnales ſpiritaleſque ſecandum: itaque nihil mirum, ſi, vt Paulus de ſe teſtatur, triſtitia illi erat maxima, & cordi continuus dolor; quam tamen abiectam partem, ramoſq; præciſos, plenitudo ſupplementumque & inſitio gentium compēſauit; vt ſic omnis Iſrael ſaluus fieret. Ergo poſteaquam Regum Principumq; potentiam Dei populo infeſtam, illius ope deiiciendam atque conterendam; tumultumque furentium populorum tamquā perturbati maris fluctus, vt olim in mari rubro diuini currus equis calcādum prædixit, extremo loco illud reſeruauit, quod pro maximo

malo haberet falſos fratres, & carnales Iſraëlitas ſemper veris infeſtos; *Vt requieſcam*, inquit, *in die tribulationis*: pro eo vt requieſcerem, & inter fratres me tutò verſari putarem, id mihi verſum eſt in diem tribulationis: deinde quænam ſit illa tribulatio declarat, *Vt aſcendam ad populum accinctũ noſtrum.* adeò, inquit, tribulor, vt aſcendendũ mihi ſit, & inſtruenda ſpiritalis acies aduerſus populum vſque adeò mihi inimicũ, vt ad bella mecum gerenda ſemper armatus ſit & expeditus. aut tanta illa erit tribulatio, vt ceſſandum mihi ſit potiùs in die tantæ tribulationis, & pax cum iis qui pacem oderãt habenda, & omnis ſpes ſalutis à Deo expectanda. Aptè autem ad hunc ſenſum LXX. poſuerũt: ad populum inhabitationis meæ, cum quo ſimul terram promiſſionis incolui, cum quo earumdem vrbium, tectorũ, ædium, eorumdem præterea morum, legum, ſacrorum ſocietate coniunctus fui. Tanti verò diſſidij, tam inteſtinæ diſcordiæ, bellorumque pluſquam ciuilium cauſam in iis verbis quæ ſequuntur, aperit, neque aliam futuram prædicit, quàm quòd carnales Iſraelitæ ex ingenita illa radicis bonitate degenerabunt, & in ſterilem ſiluestremq́; ſuccum demutabũtur, & nullos bonorum operum fructus ferent. *Ficus enim non florebit*, neque vites germinabunt: oleæ cùm prouentum promitterent, ſpem agricolæ fallent, & aridịtate conſumptę

euaneſcent: arua etiam præcipueq́ſuburbana quibus propter vicinitatem cùm in ciuium conſpectu ſint, maior cultus impendi ſolet, cibi nihil afferent. itaque deficientibus eſcis, oues de ouilibus illis Iſrael, in quibus olim abundantiſſimè Dei verbo paſcebâtur, abſciſæ, & in diuerſas partes diſperſæ ſunt. boues etiam trituráres, & panem verbi à paleis ſeparantes non ſunt in præſepibus. Qui in his verbis prędici putant, Iſraelitas poſteaquam è Babylonica ſeruitute redierint, ſumma agrorum ac terræ ſterilitate laboraturos; hi non ſolùm ex iis quæ ſuperiùs dicta ſunt, coarguuntur, in quibus docuimus de nobiliori quadam liberatione Prophetam dicere, quàm illa Babylonica liberatio fuerit; ſed etiam quia ab Ieremia prædictum comperimus, hæc omnia illis abundè affutura, quæ hîc defutura narrantur. *Venient*, inquit ille, *& laudabunt in monte Sion, & confluent ad bona Domini, ſuper frumento & vino & oleo, & fetu pecorum & armentorũ: eritq́ anima eorum quaſi hortus irriguus, & vltrà non eſurient.* Sed quia dici ad hoc poteſt hanc ſterilitatem de qua loquitur Abacuc, illam eſſe quæ ſtatim atque è Babylonia redierunt, Iſraelitæ contigit, ſecundo Darij Regis anno; de qua ſterilitate in ſua prophetia dicit Haggæus, quo tempore nõdum templum erat extructum: fertilitatem porrò à Ieremia prædictam, ex ſtructo iam templo fuiſſe, præſertim cùm ex

illius

illius verbis id ſatis indicari videatur, *Veniet*, inquit, *in Sion*, quaſi ad templum iam ædificatum. Illud certè negari non poteſt, hanc ſterilitatem, de qua loquitur Haggæus, non tantam fuiſſe, vt de illa dicturus Abacuc, tam terribili proœmio vteretur, *Audiui & conturbatus eſt venter meus; ad vocem contremuerunt labia mea: ingrediatur putredo in oſsibus meis, & ſubter me ſcateat.* Certè Auguſtinus & Theodoritus, hæc quæ de ſterilitate dici videntur, de carnalium Iudæorum inopia ſpirituali dicta interpretantur.

Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo.

Quamuis autem vndique ab hoſtibus obſidear, & Principes ſæculi in me iurata bella ſuſceperint: quãuis mihi nulla terrena ſubſidia, nullæ opes adſint; ego tamen Dei populus, & ad Iſrael verum ſecũdùm ſpiritum pertinens, Dei ſolius ope ſubnixus, è tantis periculis ereptus, à ſeruitute ac tyrannide regum ac principum idola colentium liberatus, ab inſidiis carnalium Iudæorum ſeruatus, victoria tàm admirabili tamq́; glorioſa potitus, Dei Saluatoris ac liberatoris mei potentiam ſumma cum lætitia prædicabo, & exultabo in Deo Ieſu meo.

Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quaſi ceruorum: & ſuper excelſa mea deducet me, victori in Pſalmis canentem.

Hæc ſunt illius gaudij & exultationis verba,

ba,de qua exultatione proximè dixit, *In Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo.* non mea fortitudo mihi victoriam tribuet, cùm viribus deſtitutus ſim; ſed Deus Dominus fortitudo mea erit; qui laſſo dabit virtutem, & laborantem confirmabit, & genua debilia roborabit, adeò vt ponat pedes meos quaſi ceruorum, vt etiam ſuper altiſſimas rupes inſiliam, ac fugientes hoſtes inſequar. *Et ſuper excelſa mea deducet me*, ac diriget; vt in Pſalmo 17. eſt, *& ſuper excelſa ſtatuens me*: quod vel de terra Iſrael, quæ excelſa eſt, intelligi poteſt, iuxta illud Deuteronomij: *Conſtituit eum ſuper excelſam terram*: vel figuratè ſuper capita & colla Regum aduerſariorum calcare me faciet, vt eſt in Deuteronomio 33. *Negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis.* & in hoc eodem Prophetæ loco ab alio quodam interprete verſum, καὶ ἐπὶ τοὺς τραχήλους τῶν ἐχθρῶν μου ἐπιβιβᾷ με. & ſuper colla inimicorum meorũ calcare me facit. Quibus verbis Eccleſiæ ſublimitatem ac poteſtatem prædicit; quòd & ſupra petram & excelſam rupem fundanda erit: id enim eſt ſuper petram ædificata; vt fluminum ac fluctuũ impetus non pertimeſcat, & regna atque imperia, olim infeſta, ſit pedibus calcatura. deducet autem ſuper excelſa mea *victori in pſalmis canentem.* Chriſto victori triumphale & epinicium carmen concinentem; vel, ſicut LXX. verterunt, vt vincam in carmine eius,

vt

vt ceteros cantores quaſi certamine cantandi propoſito, meo carmine ſuperem.. quaſi enim dulciori clarioríque voce nunc laudes Chriſti canit Eccleſia, quam olim Prophetæ & Moyſes ipſe cecinerat, cùm illi propter myſteriorum adhuc abſcóditorum profunditatem tenui voce obſcuráque canerent, vt ipſe quoque Prophetarũ omnium ſummus tardiloquentem ſe, & vt verbo ipſo LXX. dicam, mogilalum eſſe teſtatus ſit. Quod verò LXX. tranſtulerũt, *Et ponet pedes meos in conſummationẽ*, quamuis aliter expoſitũ ſciam, tamen hoc eſſe puto, Poſuit pedes meos veloces ac firmos, donec hoſtes meos in totum
Pſal. 17. conſumerem. iuxta illud Pſalmi, *Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos; & non conuertar donec deficiant: confringam illos, & non poterunt ſtare; cadent ſubtus pedes meos.* ſic namque illi legerunt, ac ſi eſſet כלות quod ſolent συντελεῖν & συντέλειαν, hoc eſt, conſummationem vertere. Poteſt etiam pars cantici hæc extrema non ineptè in hunc ſenſum explicari: Cunctis gentibus vbique terrarum in maxima rerum omnium penuria & anguſtia gementibus & fame laborantibus, ita vt nec fructus vllos terra ferat, neque pecora ſuperſint; hoc eſt, ſumma verbi Dei donorumque cæleſtium inopia oppreſſis: ego ſpiritalis Iſrael & Dei populus, non ſolùm de victoria exultabo, ſed etiam de bonorum ſpiritalium diuinorumque ſacramentorum copia lætabor:

bor: nam ſuper excelſa mea deducet me, in quibus excelſis, vt inquit Moyſes, conſtitutus comedam fructus agrorum, oleumq́; de ſaxo duriſſimo: butyrum quoque de armento, & lac de ouibus cum adipe agnorum & arietũ, & hircos cum medulla tritici, & ſanguinem vuæ meraciſſimum bibam: (in excelſis enim ſacrificia, primitiaſque comedebant.) ibi aſcendens ad Dei excelſa & altaria, ſacrificio illo vero atque perpetuo fruar, quod cruentis priùs ſacrificiis adumbratum, poſteà panis ac vini ſpecie traditum eſt. Et quia dum fit ſacrificium veteri more, Pſalmi Deique laudes ad muſica inſtrumenta perſonabant, ne hoc quidem decus huic ſacrificio deerit: nam victori Chriſto totis viribus canam, & meum triumphantem ducem triumphali carmine proſequar. Illud etiam ad hunc ſenſum pertinens addendum eſt; poſſe quæ ſuperiùs de frugum ac pecorum inopia dicta ſunt, propriè de carnalium Iudæorum ſacrificiis & oblationibus accipi: qui, cùm ex terræ frugibus atque pecoribus decimas atque primitias, & ſacrificia Deo offerrent, & ea in excelſis ederent; poſteaquã his carnalibus ceremoniis priuati ſunt; & eiuſmodi ciborum inopia & inedia laborant, maximum eo nomine cum ſpiritalibus Iſraelitis bellum ſuſceperunt: cùm interim Eccleſia verbi Dei pane & copia cæleſtium Sacramentorum abundet, eique in altari ſagina

Deut. 14. 24. & 26.

gina

gina ſit Dominici corporis & ſanguinis affluentiſſimè propoſita. Ne verò quiſquam putet violenter à nobis excelſorum nomen ad altaris ſignificationem detorqueri, admonendus eſt is vocem Hebræam במות. quæ in Latina editione, excelſum, dicitur, à LXX. quandoque θυσιαστήριον altare verti: & prætereà vocem Græcam βωμὸς, quæ ſine dubio altare ſignificat, ab hac ipſa Hebræa voce במה originem ducere: vnde ſæpe ab iiſdem ſic etiam vertitur.

VTINAM VERO ſicut hæc de Chriſti Eccleſia credimus, & fidei noſtræ prædictioniſque veritatem ipſe rerum exitus comprobat; ita liceat extremum hoc malum ac periculum poſtremo loco ab Apoſtolo poſitum euadere, ne inter falſos fratres conflictemur, ne abundante iniquitate refrigeſcat fides & caritas multorum, ne petra, ſuper quã extructa eſt Eccleſia domuſq; Dei, petra ſcandali & lapis offenſionis fiat. Omnes igitur qui Chriſto nomen vbique gentium dederunt, hortor vt frater, & tanquam inter Speculatores & Epiſcopos à Deo poſitus moneo, vt contentionibus & ſeditionibus abiectis, in domum Domini veniamus, ibi abſcondamur in tabernaculo Dei in die malorum, ibi protegamur in abſcondito tabernaculi eius: imitemur maiorum noſtrorum fidem ac pietatem, quibus anima vna,

&

& cor vnum erat, vt ſacra hiſtoria prodit, vt eadem crederent, eodemque caritatis vinculo nectèrentur: caueamus pertinaces ab Eccleſiæ vnitate diſſenſiones; & aliorum exemplo diſcamus quàm magni mali origo ſit dicere, Ego ſum Pauli, ego Apollo: omnes ſimul ad Dei excelſa & altaria conſcendamus, ibique in Eccleſiæ petra ac monte Dei vnanimes vno ore glorificemus Deum ac Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui eſt honor & gloria in omnia ſæcula.

APPROBATIO.

Hoc in Habacuc Prophetam Commentarium, Auctore R.mo Domino D. Antonio Agellio Epiſcopo Acernenſi, eruditum eſt ac pium; nihil continens fidei Catholicæ contrarium, aut bonorum morum offenſiuum. Quare vtiliter, ac cum fructu prælo committi poterit. Datum Antuerpiæ 9. Calen. Octobris. 1597.

Silueſter Pardo S. Theol. Licentiatus, Cathedralis Eccleſiæ Antvverp. Canonicus, Librorumque cenſor.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
APVD IOANNEM MORETVM.
M. D. XCVII.


LABORE ET CONSTANTIA

-1-6-2-a